

COMMERCII EPISTOLARIS VFFENBACHIANI
SELECTA
VARIIS OBSERVATIONIBVS
ILLVSTRAVIT
AC SECVNDAM SECTIONEM
COMMENTATIONIS
E STVDIO B. VFFENBACHII
BIBLIOTHECARIO
PRAEMISIT
IO. GEORG. SCHELHORNIVS





PARS QVARTA

VLMAE ET MEMMINGAE
APVD IO. FRIDER. GAVM
MDCCLV.

VIRO AMPLISSIMO

LONGEQVE CELEBERRIMO

IO. MATTHIAE GESNERO

ELOQVENTIAE ET POES. IN ACADEMIA
GEORGIA AVGVSTA

PROFESSORI PVBL. ORD.

SCHOLARVM PER ELECTORATVM BRVNSVICO
LVNEBVRG. ET SEMINARII
PHILOLOGICI

INSPECTORI,

ACADEMIAE BIBLIOTHECARIO,

AC ILLVSTRIVM SOCIETATVM REGIARVM
GOTTINGENSIS ET BEROLINENSIS,
DVCALIS ITEM LATINAE
IENENSIS,

MEMBRO ATQVE ORNAMENTO
SPLENDIDISSIMO

AEVI NOSTRI TVLLIO

FAV-

FAVTORI SVO VETERANO,

QVEM B. VFFENBACHIVS INTER AMICOS SVOS PRINCIPES RETVLIT,

OBSERVANTIAM IPSI SVAM PVBLICE TESTATVRVS

QVARTAM HANC SELECTORVM COMMERCII EPISTOLARIS PARTEM

CVM FERVENTISSIMO OMNIGENAE PROSPERITATIS VOTO

DICAT ATQVE INSCRIBIT

MAGNI EIVS NOMINIS

CVLTOR PERPETVVS

D. IO. GEORGIVS SCHELHORNIVS

SVPERINT. MEMMING.

ACADEMIAE IMP. ROBORETANAE MEMBRVM AC SOCIETATIS DVCAL. LATINAE IENENS. SODALIS.



PARTIS IV. SVMMA.

Epistolae mutuae Io. Henr. Maii Fil. et Vffenbachii pag. 222

Epistola Val. Ern. Loescheri 333

Epistolae amoebaeae Ge. Christ. Ioannis et Vffenbachii 335

- - - *Car. Ott. Rechenbergii et Vffenbachii* 356

- - - *Io. Georgii Scherzii et Vffenbachii* 368

- - - *Io. Bapt. Otii et Vffenbachii* 374

- - - *Io. Guil. Kirchmaieri et Vffenbachii* 401

- - - *Boyeti et Vffenbachii* 408

SINGVLARES EDITORIS OBSERVATIONES.

I. *Commentationis de studio B. Vffenbachii bibliothecario Pars II.* pag. XCIII.

II. *Spicilegium de C. S. Curione* 270

III. *Observatio de Mich. Enemanno Sueco* 285

IV. *Analecta de Wilhelmo et Conrado Nesenis fratribus* 299

V. *Observatio de Codice M. S. Actorum Concilii Tridentini* 344



COMMENTATIONIS
DE
STVDIO B. ZACH. CONRADI AB VFFENBACH BIBLIOTHECARIO
PARS II.



Eccasse vero se etiam in hoc candide profitebatur, quod non unam vel alteram integram bibliothecam justo pretio coemerit, suæque ceu fundamentum substraverit, quæ commodissima fuisset ratio auspicati in apparatu librario adornando primordii, a celeberrimarum bibliothecarum conditoribus plerumque observata. Displicebat autem ipsi primo hoc consilium, quod sic multos libros,

vel sibi variis ex causis minus gratos, vel jam aliunde comparatos adepturus fuisset, quibus iterum vendendis Francofurti haud facilis tum erat occasio, cum bibliopolæ omni conatu repugnarent, ne libri sub hasta plus licitantibus divenderentur. Eo igitur magis mirandum est, quod isthoc consilio neglecto ad tantam tamen magnitudinem ejus bibliotheca excreverit. Indoluit vero semper, quod Jo. Christiani Itteri, Archigrammatei Francofurtensis, insignem bibliothecam, scriptis historico - politicis probe instructam, quam heredes ipsi obtulerant, de manibus emiserit. Insuper multis se parcere potuisse sumtibus agnoscebat, si sensim sensimque e bibliothecis, apud Belgas aliosque præconis voci subjici solitis, supellectilem suam librariam potius locupletare, quam tot libros incompactos, enormi partim pretio, e bibliopolarum Francofurtensium et exterorum tabernis redimere visum sibi fuisset. Alieno autem tum, cum prima bibliothecæ suæ fundamenta sterneret, erat ab auctionibus, quas vocant, animo, veritus scilicet, ne sic multos libros mancos nancisceretur, a quibus adeo abhorrebat, ut volumina vel paucissimis pagellis mutilata, bibliothecæ suæ, etsi exiguo vel nullo plane pretio ea habere potuisset, sciens inserere noluerit. Mutavit vero postea mentem,

cum

cum in primo itinere Belgico ipſemet hujusmodi venditionibus interfuiſſet, multosque deinde hoc pacto egregios libros, tam manu exaratos, quam typis exſcriptos in bibliothecam ſuam intulit.

Læta vero indies augmenta capiente bibliotheca, crevit et ejus in illa digerenda apteque collocanda labor ac induſtria. Cumprimis multum operæ ſtudiique conſumſit in adornandis librorum ſuorum catalogis. Vix credibile eſt, quantum moleſtiæ hoc in negotio devoraverit, ut aliorum potiſſimum, opibus literariis, tantis a ſe ſumtibus conquiſitis, uti geſtientium commoda promoveret, vir laboris patientiſſimus. Noluit enim iſthanc rem amanuenſibus credere, ob rei literariæ ac librariæ ignorantiam craſſiſſimos errores in nominibus præſertim propriis commiſſuris, ſed ipſemet non primum tantum eos in chartam conjecit, verum nitidius etiam atque curatius manu ſua deſcripſit, veſtigia ſecutus laudatiſſimi principis, AUGUSTI Luneburgenſium ducis, qui βιβλιοφιλίᾳ ſua ipſum Ptolomæum Philadelphum aliosque priſci ac recentioris ævi Reges longiſſime ſuperavit, ac inter tot rariſſima bibliothecæ Guelpherbytanæ, quam condidit, cimelia nullum facile præſtantius, feræque poſteritatis admiratione dignius ſummi in literas amoris monumentum reliquit

catalogo librorum et codicum, tanto studio conquisitorum, sua manu conscripto, de quo CONRINGIVS (a): *Index Augustae bibliothecae (si pauca excipias ob quotidianam bibliothecae accessionem) ea cura, eo successu est elaboratus jam, atque ad maturitatem perductus, ut omnem superet exspectationem, et nec voto quicquam magis omnibus perfectum numeris possit isthoc in genere expeti aut desiderari. In stuporem profecto abreptus ego sum, simul ac spectavi ingentem tot voluminum molem, quae indicem istum referunt: multo magis, ubi spissos illos et amplissimae magnitudinis codices curiosius inspicere coepi et evolvere. Librorum ipsorummet index integris quinque constat vastis regali, quam vocant, proceritate voluminibus: seorsim duo sunt volumina cum prioribus illis miro artificio connexa, non libros sed auctores memorantia. Quinque priorum tria volumina ipsemet princeps manu sua conscripsit: id quod mecum haud dubie admiraberis, cum plane omni careat exemplo.*

Est vero res laboris ac difficultatis plena, accuratos bibliothecarum copiosarum indices conficere, quod ii demum penitius

(a) in epistola ad Boineburgium de bibliotheca Augusta p. 179. sq. collect. Mader. conf. Cel. Jac. BVRCKHARDI Historiam Bibliothecae Augustae, quae Wolffenbutteli est, Part. I. p. 182. sq. 206. sqq.

tius norunt, qui ipsi aliquando in hoc se campo exercuerunt, inexpertos Thomas HYDE suo exemplo in præfatione catalogi librorum impressorum Bibliothecæ Bodlejanæ de hujus negotii gravitate edocebit, qui integros novem annos in adornando ac publicæ luci exponendo illo catalogo (b) haud sine tædio consumsit. Consultum autem primo duxit Noster, plenos librorum titulos catalogo inserere, quod etsi molestum sit, utilitate tamen sua laboris difficultatem satis compensat. Quo enim consilio hoc fecerit, ipse in litteris anno MDCCVI. d. IV. Kal. Oct. ad ACKERUM scriptis ostendit: *Felices nos, si modo Indices Librorum ac Bibliothecarum accuratos haberemus. Sed id nec sperandum est, cum maximum laborem requirant. Quam tædiosus iste sit, expertus ego sum, dum curtam meam librariam supellectilem in ordinem redegi. Indefessus attamen fui, descripsi integros titulos: hoc enim summe necessarium duxi. Licet enim sæpe titulus in amphoram, liber in urceum exeat, plerumque tamen totius Operis synopsis aut sciagraphia est. Exemplo rem declarabo, in quantos errores inducat, si modo*

(b) in quo tamen jure varia desiderarunt viri docti. vid. Bibliothecæ universalis, quæ Noribergæ particulatim publicæ luci exposita fuit, Volumen IV. p. 325. seq.

tria verba tituli ponantur. Mihi ipsi accidit, ut, quum in variis catalogis aliisque Eruditorum scriptis laudatas Joh. Smetii patris et filii Antiquitates Neomagienses, Noviomagi Batavorum 1678. in 4to editas, vidissem, crederem, descriptionem Urbis et Antiquitatum, quae in ea reperiuntur, esse. Ast, postquam ipsum librum nactus sum, intellexi, continere eum notitiam rarissimarum rerum antiquarum, quas in veteri Batavorum oppido studiose sibi compararunt (c) *Jo. SMETII pater et filius. Accedit, quod multa scripta cum aliis conjunctim edita sint, quod nisi perspecto titulo ignoratur. Et cum horum magnus sit numerus, adspiceremque Oceanum Juris Tract. Bibliothecas Thesaurosque Librorum (Graevii, Gronovii, Gruteri aliorumque) integros editos, singularem eorum Tractatuum, qui cum aliis una prodierunt, confeci indicem. Nec me poenituit laboris. Hac enim ratione omnem meam librorum supellectilem perlustravi, vidique multis me cimeliis ditiorem esse, quam credideram. Si DEus vitam concesserit, et plura conquisivero, in lucem dabo catalogum, qui publico non inutilis erit. Habemus quidem varios, ut Bodlejan. Cotton. Thuan. Tellerianum etc. quos ut et Auctionum catalogos plurimos congessi, sed multis defectibus laborant, nullusque dictis modis comparatus est.*

De

(c) Hinc opus hoc deinde etiam sub titulo *Thesauri Antiquarii Smetiani* vel *Pinacothecae* prodiit.

De ſpecialiſſimo librorum, aliis inſertorum, catalogo, cujus hic quoque mentionem facit, alibi jam (d) ex inſtituto diſſerui: nunc vero de generaliori quædam adhuc monenda ſunt. Exemplis ſcilicet nonnullis declarabimus, quanti ad evitandos errores interſit, librorum titulos, ſi non integros (quod in omnibus neceſſitas haud efflagitat,) pleniores tamen et ſic comparatos exhibere, ut lector, quantum potis eſt, de eorum argumento inſtruatur. Edidit Samuel GVICHENONIVS Lugduni A. MDCLX. in 4. BIBLIOTHECAM SEBVSIANAM, quæ rariſſimorum librorum in cenſum venit, donec eam optimo conſilio D. Chriſt. Godofr. HOFFMANNVS in Tomo I. novæ ſcriptorum ac monumentorum, partim rariſſimorum, partim ineditorum collectionis A. 1731. Lipſiæ recudendam, et ex ipſo quidem bibliothecæ Vffenbachianæ exemplo curaret.

Hoc autem duntaxat titulo in catalogis nonnullis poſito decepti fuerunt viri rei librariæ alias haud imperiti, atque exiſtimarunt, opus hoc eſſe indicem librorum bibliothecæ Sebuſianæ. In quem illi errorem ſane haud incidiſſent, ſi titulus ita fuiſſet exhibitus: *Bibliotheca Sebuſiana,*

(d) in prima hujusce Sylloges parte p. 41. ſqq.

bufiana, seu variarum chartarum, diplomatum, fundationum, privilegiorum, donationum et immunitatum, a summis pontificibus, imperatoribus, regibus etc. concessarum ecclesiis, monasteriis et aliis locis et personis, miscellæ centuriæ duæ: ex archivis regiis, tabulariis et codicibus manuscriptis collecta, notisque illustrata a Samuele GVI-CHENON.

Quis non, si in catalogo legeret titulum libri a Renato Corvæsario adversus Georgium Thomsonum A. 1612. editi: *La chasse du loup cervier*, arbitraretur, rationem capiendi lynces in eo tradis nisi adjicerentur et reliqua, *où il traite du jeusne de l'Eglise catholique?* Profecto haud retulisset vir doctissimus Jacobus le LONG in prima suæ bibliothecæ sacræ editione WEIDLINGII Gazophylacium oratorium inter concordantias biblicas, si pleniorem ejus titulum legisset. Nihil facile stultius excogitari potuisse judicavit MORHOFIVS (e) titulo, quem variis suis observa-

(e) Polyhist. liter. T. I. L. I. C. 21. §. 48. Si Pyrgopolinices Plautinus librum aliquem scripsisset, similiter eum inscripsisset, judice Gregorio MAJANSIO, Viro inter præcipua Hispaniæ ornamenta referendo, in specimine Bibliothecæ Hispano-Majansianæ a Cel. Davide CLEMENTE Hannoveræ A. 1753. in 4. edito, p. 100.

ſervationibus, doctrina quidem et bona fruge haud deſtitutis, atque propterea Hamburgi A. 1712. b. D. Jo. Alb. FABRICII ſtudio recuſis, præfixit Laurentius Ramirez de Prado, hoc nimirum: Πεντηκονταρχος, *ſive L. militum ductor D. Laurentii Ramirez de Prado ſtipendiis conductus etc.* Eo deceptus in lepidum errorem incidit, qui catalogum incomparabilis alias bibliothecæ Sarrazianæ contexuit, hunc librum inter rei militaris ſcriptores referens (f): quod ſane is haud facturus fuiſſet, ſi modo librum ipſum inſpicere, vel ea ſaltem, quæ in ipſa ejus fronte ſequuntur, verba legere non neglexiſſet.

Imo optaverim ego, ut nonnunquam in catalogis explicationis cauſa adjicerentur paucula, in ipſis librorum titulis non exſtantia, parentheſi incluſa, et diverſo characterum genere exarata, ſi illi fuerint amphiboli, portentoſi, aut ita obſcuri, ut, niſi ipſoſmet libros inſpexeris, plane neſcias, quid in iis quærendum ſit. Quis quæſo, niſi de hoc admonitus, exiſtimet, opus ſequenti titulo editum eſſe aſtronomicum: *Oculus Enoch et Eliæ, ſive Radius Sydereo-myſticus authore Antonio Maria Schyrloc de Rheita: Antu. ex officina Hier. Verduſſii in fol.* Nonne enim potius hariolari

x 5 fas

(f) vid. Biblioth. Bremenſ. Claſſ. III. p. 208.

fas foret, esse opus sacris et mysticis contemplationibus plenum? Zacharias ROSENBACHIVS, Med. Doct. ac physices quondam Professor Herbornensis, Francofurti ad Mœnum A. 1633. in 4. evulgavit librum, cui titulum indidit: MOSES OMNISCIVS. Cuinam, sodes, vitio vertendum esset, si ex epigraphe judicaret, de pansophia Mosis hic agi, cum tamen Lexicon sit Hebraicum Vet. Test. Idem minabatur quoque hujuscemodi *Omniscientiam Christianam*, i. e. Lexicon Novi Test. Græcum. Ipsemet VFFENBACHIVS, at quantus librorum helluo, se hoc modo aliquando deceptum esse fatetur. Viderat in catalogo bibliothecæ Markianæ, plus licitantibus divenditæ, part. I. p. 221. *Franc. Dineti Theatre de la Noblesse Françoise, Tom. I. et II. à Rochelle, 1648. in fol.* E titulo itaque suspicatus, esse librum genealogico-historicum de ordine equestri regni Gallici, Wetstenio Amstelodamensi bibliopolæ id dedit negotii, ut cum pluribus aliis et hunc sibi compararet, quem etiam decem florenorum pretio obtinuit; sed animadvertit deinde facile, fucum sibi illo titulo factum, esseque opus ethico-politicum. Hermannus von der HARDT Brunsuigæ A. 1690. et sqq. edidit catalogum librorum Lutheri aliorumque celebrium virorum ab A. 1517. usque ad A. 1546. typis excusorum, et in bibliotheca Rudol-

phi

phi Augusti Luneb. Ducis extantium, tribus partibus comprehensum, hoc titulo: *Antiqua literarum monumenta autographa* LVTHERI *aliorumque celebrium virorum ab A. 1517. usque ad A. 1546. reformationis ætatem et historiam egregie illustrantia, in Seren. Princ. Rudolphi Aug. etc. bibliotheca manuali Brunsuigæ recondita.* Hoc titulo decepti existimarunt celebres quidam viri, eum publicasse ex laudatissimi principis bibliotheca tres tomos autographorum LVTHERI et coætaneorum (g) cum indicem duntaxat hujusmodi librorum, sive editionum primarum scriptorum Lutheri ac coævorum dederit. Extat libellus cum hac epigraphe A. 1641. editus: *Minervalia Bononiensia.* SPIZELIVS ex inscriptione auguratus, contineri in eo bibliothecarum Bononiensium designationem, Venetiis illum sibi afferendum curavit, sed ex *αὐτοψία* nil præter scriptorum patria Bononiensium, ut et pictorum sculptorumque antiquiorum ejusd. civitatis in eo deprehendit. Nonne igitur utilissimum foret, si in bibliothecarum illustrium catalogis bina verbula titulis librorum æquivocis aut allegoricis illustrationis gratia adjicerentur?

Non-

(g) vid. Lexicon eruditorum virorum biographicum Lipsiense, Tom. I. p. 1878. edit. III.

Nonnunquam ipsæ librorum inscriptiones sunt mendosæ, ac ab ineptis vel editoribus vel typographis depravatæ. Id ergo quoque in catalogis monendum est, ne error serpat ulterius, ac ipse possessor in ignorantiæ suspicionem incidat: v. g. Antwerpiæ A. 1557. in ædibus Jo. Steelsii prodiere *Rerum Moscoviticarum Commentarii Sigismundo Libero authore*. Si ergo hoc modo liber referretur in catalogum, ecquis non, nisi aliunde jam meliora edoctus, arbitraretur, Sigismundum Liberum esse horum commentariorum scriptorem, cum tamen scribi debuisset, Sigismundo Libero Barone de HERBERSTAYN, Neyperg et Guettenberg authore, quod ex dedicatione ad Ferdinandum patet? Inductos etiam hinc in errorem esse viros quosdam doctissimos, Sigismundum Liberum allegantes, plus simplici vice observavi. Sic Hieronymus CARDANVS Lib. VIII. de rerum varietate, *Moscovitas*, inquit, *refert* SIGISMVNDVS LIBER, *Cæsaris apud eorum principem legatus, jejunii tempore abstinere penitus a cibo, diebus Lunæ, Mercurii, Veneris etc.*

Hæc aliaque pensi habens VFFENBACHIVS, ne et ipse et alii, quibuscum communes esse voluit suos thesauros, amanuensium vel oscitantia, vel inscitia in errores abriperentur, non detrectavit in catalogis conficiendis Herculeum fere subire laborem. Toties enim in perpetuis bibliothe-

bliothecæ ſuæ incrementis eos manu ſua tranſcripſit, varie immutavit, melius digeſſit, ut plus quam quinquaginta ſpiſſa majoris formæ volumina iis impleverit, a tribus robuſtiſſimis viris vix aliorſum transportanda. Neque tamen ſic ſibi ſatisfecit, tædiumve laboris hujus, licet moleſtiſſimi, cepit vir χαλκέντερος, ſed ſæpe jocando Briarei ſibi ſortem exoptavit, ut tum his ſemper melius adornandis, tum aliis rebus notatu dignis in chartam conjiciendis par eſſet. Plurimum vero inde percepit emolumenti: omnes enim ſuos libros et codices hunc in finem manu verſans, ut eorum titulos apte in catalogos referret, non contentus fuit, ſola illorum frontiſpicia vagis contueri oculis, ſed ipſa etiam eorum argumenta diligenter perluſtravit, atque hoc pacto in varia pariter doctrina ac βιβλιογνωσίᾳ indies mirum quantum profecit.

Altioris præſertim indaginis ac operoſioris induſtriæ res erat, codices manu exaratos excutere, et genuinos eorum titulos exhibere. Quantæ id molis ſit, nemo rectius intelligit, quam qui ipſe aliquando huic labori manum admovit, et codicibus MSS. tractandis ac recenſendis inſudavit.

Quia librorum olim tituli minio conſcribi, plurimumque exornari ſolebant, librarii ſæpe ſpatium et tituli et ornamenti

ab


ab iis, qui a minio Miniatores vulgo appellantur, appingendi reliquerunt, factumque hinc est, ut antiquorum libri non pauci ad nostram ætatem vel absque titulis, vel cum spuriis inscriptionibus pervenerint, observante Hieronymo MAGIO.(h)

Haud raro quoque temporum hominumque injuria eos reddidit mancos et fronte calceque mutilatos; subinde etiam ob vetustatem, librariorum inertiam, characterum varietatem, mirificos litterarum ductus, vocumque compendia sunt lectu ac intellectu difficillimi, atque ita comparati, ut solertissimis antiquitatis ruspatoribus negotium facessant. Testis hujus rei idoneus est Ioachimus FELLERVS, Academiæ Lipsiensis quondam Bibliothecarius, qui in præfatione Catalogi Codicum MSS. Biblioth. Paulinæ, Lips. A. MDCLXXXVI. in 12. editi, de suis in illo munere antecessoribus, viris cætera doctissimis, hæc commemorat: *Male et minus accurate ab illis lectos fuisse MSStos Codices, non illud tantum apertissimo documento est, quod, cum in uno quandoque volumine X. vel plures etiam diversi contineantur tractatus, illi primum tantum aut secundum in Catalogum retulerint; sed et titulos quosdam*

(h) Cap. XIV. Miscellaneorum seu Lectionum variarum conf. Cel. Jac. Frid. REIMMANNI Ideam Systematis Antiquitatis literariæ p. 594.

dam plane falsos v. g. Piper de Tempore, Sermones Promptuarii, Conradinus frater de congregatione aquarum; cum ita debuissent signari: Granum piperis, sive Sermones de Tempore, Promtuarium sive Sermones de Tempore, Conradini Congregatio aquarum, sive Sermones varii. Sunt enim Inscriptiones hæ figuratæ, uti et aliæ v. g. Malogranatum, Manipulus florum, Gemma animæ, Pharetra, Diadema Monachornm, Urna aurea, Corona aurea, Speculum aureum, et sexcenta id genus plures, quarum ingens præ cæteris copia est inter libros Paulinæ vetustiores Theologicos impressos. Sic alius liber Paulinus sic notatur: Biblia Saxonicis versibus reddita, cum tamen sit Historia Scholastica Petri Comestoris in rythmos Saxonicos redacta, et quidem ab initio mundi usque ad tempora Eli Judicis; alius sic: Precationes Misnicæ et Saxonicæ, cum sint Vitæ Patrum a Jacobo quodam Diacono rythmis Germanicis secundum dialectum Saxonicam ante CCCC. annos inclusæ.

Sic ipse VFFENBACHIVS in adversariis suis historico-literariis annotavit, veterem possessorem Codicis cujusdam MS. de ludo Scachorum agentis e bibliotheca Jo. Maximiliani Zum Jungen, quæ integra publicæ Francofurtanæ bibliothecæ inserta est, ex priscæ scripturæ difficultate ita hallucinatum esse, ut, cum titulus codicis fuerit SCACH ZABILE, ille miro soloecismo literario volumini hanc epigraphen inscripserit: *Saxonici Speculi declaratio Germanica MS.* Hujusmodi errores ut evitaret Noster



ſter, omni ſtudio contendit, codicesque ſuos non obiter tantum ac veluti per tranſennam, ſed ſagacibus oculis perveſtigavit, ut juſtis eos titulis in catalogis ſuis inſignire, adjecto etiam de eorum ætate judicio, poſſet.

Maxime enim intereſt ejus, qui auctoritatem et præſtantiam codicum calamo exaratorum exploratam habere geſtit, noſſe, quo quisque ſæculo ſcriptus ſit. Cum vero ſæpe certis temporum indiciis priſci deſtituantur codices, paucorum, nec niſi literatas veteris ævi reliquias nocturna verſare manu, verſare diurna adſuetorum eſt, priſcorum voluminum ætatem, ſine qua illorum notitia manca eſt, ex characterum forma aliisque criteriis indicare. VFFENBACHIVM autem frequens in hac critices parte exercitatio, creberque codicum MSS. uſus peritum fecerat artificem et ſagacem divinatorem, quonam illi ſæculo literis conſignati eſſe videantur, quippe qui ex ſedula eorum, quibus annus ſcriptionis adjectus eſt, tractatione et induſtria inſuper diplomatum luſtratione ſcribendi cujusvis ſæculi rationem compertam habebat: quod maxime illi neceſſarium erat, ne fucum ſibi fieri, ac pro priſcis magno obtrudi pretio codices recens ſcriptos, et ad imitationem veterum doloſe effictos pateretur ab hominibus lucri cupidis, quos auri ſacra fames ad fraudes quaslibet acu-

tos

tos reddere solet. Dio Chrysostomus Orat. περὶ κάλλους refert mirum librariorum sui ævi dolum, quo vilissimos quosque recentium libros abdere soliti fuere frumento, ut situm contraherent, atque ita pro antiquis majori pretio venderent (i). Testis est Thomas JAMESIVS, in Bibliotheca Vaticana suo tempore non paucos pingendi artifices quotidie ali solitos, quorum erat, Concliorum acta, et antiquorum Patrum opera exscribere, idque literis, vetustissimos codices, quantum fieri poterat, imitantibus. (k) Quis vero dubitet, hoc artificio alios quoque turpi lucello inhiantes subinde usos? Quod infelix Alphonsus CICARELLVS (l) acuto ad malum ingenio in fingendis diplomatibus, instrumentis ac memoriis anti-

(i) vid. Jo. WOWER. de Polymathia Cap. XV. p. 168. edit. Thomas.

(k) vid. Guil. CAVE Prolegomena Historiæ literariæ scriptorum ecclesiast. præmissa, Sect. V. f. XVI.

(l) de quo ob fraudes suas nutu Gregorii XIII. P. M. extremo supplicio Romæ affecto vid. Leonis ALLATII Appendicem ad fragmenta Antiquit. Etrusc. p. 255. sqq. et Th. SPIZELII Infelicem Literatum p. 423. sqq.

quis characteres imitando, et chartam pergamenam, certis adhibitis artibus, antiquam repræſentando perpetravit, idem ab aliis lucri cauſa in MSS. codicibus factum eſſe quis negaverit? Certe, ut unicum afferam exemplum, codicem novi Teſtamenti Græci membranaceum, literis uncialibus et absque accentuum notis exaratum, ac hoc nomine pro pervetuſto antehac habitum, qui in bibliotheca regia Berolinenſi grandi quondam pretio a Chriſtiano RAVIO,niſi fallor, redemtus, exſtat, demonſtravit la CROZE, (m) vir κριτικώτατος, recentem ac ex editione Bibliorum polyglottorum Complutenſi ita deſcriptum eſſe,ut imperitus librarius errores etiam typographicos haud immutaverit. Singulari igitur circumſpectione ac peritia

(m) Atramentum quoque pallidum in hoc codice exarando de induſtria adhibitum, ut antiquitatem felicius mentiretur, et incautos falleret. vid. Epiſtolam Cel. la CROZE, ab illuſtri, dum viveret, Viro Car. Steph. JORDANO Hiſtoriæ itineris ſui literarii A. 1733. per Galliam, Angliam et Belgium feliciter ſuſcepti, Gallico ſermone A. 1735. Hagæ Comitum evulgatæ inſertam, p. 153.

tia opus habet, qui bibliothecam suam priscis codicibus locupletare cupit, ut ab ingeniosa lucripetarum versutia sibi caveat, ac, ne nubem pro Junone amplectatur, curet. Hac præditus Noster, et multo veterum tabularum codicumque usu exercitatus, variaque insuper eruditione instructus haud facile decipi se passus est, et cum volumina sua MSS. in Catalogum relaturus recognosceret, id operæ dedit, ut rectum de illorum ætate judicium ferret.

Quod ad externum librorum cultum spectat, VFFENBACHIVS, si quibus voluminibus varii inserti essent libelli, singulos schedula interposita eaque nonnihil dissecta, ut primæ cujusque libelli paginæ insigi posset, discriminare, omnes autem bibliothecæ suæ libros cartæ cæruleæ (*Hollandisch bleumoirent olyfanten-papier*) involvere, tergoque titulos, addito impressionis loco et anno, curate inscribere solebat. (n) Isthæc libros involvendi ratio

(n) Ipsum Serenissimum Bibliothecæ Augustæ Guelpherbitanæ Conditorem, AVGVSTVM, laboriosissimum Principem, titulos in librorum dorsis sua inscribe-

ratio haud ſine cauſa ipſi placuit. Non enim ſolum hoc modo opera nitidius compacta ab attritione maculisque conſervantur, ſed exterior etiam voluminum conformitas oculos jucundius afficit. Nam cum crebro libri jam varie colligati coëmi ſoleant, diverſiſſimus involucrorum color externo bibliothecæ decori haud parum officit. Singulos autem veteres libros in tanta eorum copia nova eaque ſplendida veſte ornare, res eſſet enormes ſumtus poſtulatura. Sunt inſuper opuſcula quædam, quæ in nonnullis rebus uſui nobis eſſe queunt, ita comparata, ut ſi ea nitide compingenda curaveris, perinde feceris, ac ſi quis bracteis aureis inaurare glandium putamina, vel aſini caput ſapone lavare ſtolido conſilio velit.

Licet igitur externi quoque librorum nitoris ac munditiei, quantum pote, ſtudioſus fuerit, multosque libros inſigniores, pro diverſitate argumenti ac linguæ, Anglico Belgico vel Gallico more ſplendide compingendos curaverit; maluit tamen ſumtus

---

ſcribere manu, ne piguiſſe quidem, commemorat Cel. BVRCKHARDVS in luculentiſſima illius bibliothecæ hiſtoria, Part. I. p. 212.

tus, quos alii in librorum compactionem profundunt, priscis novisque libris coëmendis impendere, ne censuram Senecæ (de tranquill.) incurreret; facete illos perstringentis, quibus voluminum suorum frontes maxime placent titulique. Valde ipsi probabatur Gabr. NAVDÆI hac de re judicium, scribentis (o): *Nullos videas, nisi imperitiores, qui a forma externa pluris minorisve æstimant volumina; quoniam non æque cum libris res comparata est, ac plerumque cum hominibus, ubi vestis virum facere alias creditur: adeoque præstat, multos habere libros, more ordinario bene compactos, quam unum aliquod et angustum conclave, comtis, inauratis, ac superstitiosa munditie tactum refugientibus libris, velut aulæis et peristromatis distinctum, quodque luxu et variis oculorum illecebris non bibliothecam sed theatrum æmulatur.* Non itaque Noster a librorum bonorum rariorumque emtione abhorrebat, etsi involucris minus comtis præditi essent, hic etiam locum habere tritum illud censens: *Sæpe sub palliolo sordido magna latet sapientia.*

y 3 Erat

(o) in Differt. de instruenda bibliotheca p. 112. novæ de bibliothecis accessionis collectioni Maderianæ adjunctæ a Jo. Andr. SCHMIDIO conf. p. 127. seq.

Erat quidem Vir non minus munditiei et elegantiæ in omni vita aſſuetus, quam THVANI elogio Joannes GROLLIERIVS, ærarii Galliarum Regis præfectus, ac elegantiam quoque et munditiem librorum amabat. Nec ſane viro politiſſimo is diſplicuiſſet ornatus, quo ſuperbiiſſe GROLLIERII libros perſonatus ſcriptor de Vigneul - Marville (p) his verbis narrat: *Il ſemble à les voir, que les Muſes qui ont contribué à la compoſition du dedans, ſe ſoient auſſi apliquées à les apropier au dehors, tant il paroît d'art & d'eſprit dans leurs ornemens: Ils ſont tous dorez avec une délicateſſe inconnuë aux Doreurs d'aujourd'hui: Les compartimens ſont peints de diverſes couleurs, parfaitement bien deſſinez, et tous de différentes figures: Dans les cartouches ſe voit d'un côté en lettres d'or le titre du Livre, et au deſſous, ces mots qui marquent le caractére ſi honnête de M. Grollier, Jo. GROLLIERII et amicorum; et de l'autre côté cette Deviſe, témoignage ſincére de ſa piété: Portio mea, Domine, ſit in terra viventium.* Sed tot ſumtus in hunc ſplendorem exppendendos libris ipſis et codicibus cumulandis deſtinare duxit conſultius. Terruerunt ipſum veſtigia THVA-

(p) *Melanges d'hiſtoire et de litterature I. Vol.* p. 151. edit. Roterod. A. 1702.

THVANI, viri incomparabilis, cujus bibliotheca olim non libris minus exquisitissimis, quam externo eorum splendore, magnifico sumtu parato, mirifice superbiit, sed tandem a posteris præter voluntatem conditoris, id diserte vetantis, tam parvo pretio ad rei literariæ dedecus divendita est, ut cum libris compingendis et concinne ac sumtuose etiam convestiendis centum millia librarum fuerint impensa, ne tertiam quidem summæ hujus partem æquaverit ipsius bibliothecæ venditio, quod testatur Petr. Daniel HVETIVS, ipse aliqua ejus parte potitus. (q)

Quum vero, quod ex hactenus dictis constare puto, in libris comparandis, digerendis, in catalogum referendis, aliorum usui impertiendis, desiderandis, curioso oculo lustrandis ac legendis totus esset noster, quum in iis negotium, otium, vigilias repone: et suas, quid mirum, ipsi etiam contigisse, quod Claudianus ait:

Omnia, quæ sensu volvuntur vota diurno,
Tempore nocturno reddit amica quies.

 Quod

(q) in Commentar. de rebus ad eum pertinentibus Lib. VI. p. 392. edit. Amst. A. 1718.

Quod de uxore Ovidius, (r) idem de bibliotheca ſua dicere poterat VFFENBACHIVS:

Te vox mea nominat unam,
Nulla venit ſine te nox mihi, nulla dies.

Dormientis igitur menti etiam obverſabantur libri et codices tantopere deamati; ſomnians eos tractabat, volutabat, emebat, ſpirabat, legebat, aliis impertiebat. Ju..nde itaque hoc modo tranſigens noctes, querula Naſonis (s) verba juſte poterat in animi lætitia geſtientis convertere voces:

Somnia me recreant veros imitantia caſus,
Et vigilant ſenſus in mea lucra mei.

PEIRESCII, quem ſi VFFENBACHIVM *ante* VFFENBACHIVM dixero, nil præter rem ipſam dixiſſe mihi videor, Peireſcii inquam, notabile ſomnium his verbis refert GASSENDVS (t): *Inſomnium* (in itinere) *illi contigit, quod aliquoties mihi enarrans ſolitus fuit præmittere, ſe, ſi ab alio fuiſſet enarratum*

(r) Lib. III. Triſt. Eleg. III.
(s) Lib. I. de Ponto Eleg. I.
(t) de ejus vita Lib. II. p. 175.

ratum, non crediturum. Erat in ejus comitatu Jacobus Raynerius Aquensis civis, qui in eodem cubiculo indormire solitus, indormiit speciatim intra id hospitium, quod vocitant Album, Monspelium ac Nemausum inter. Somniavit autem Peireskius, ac nescio quid insolitum obmurmurare visus est: quare excitatus Raynerius, ipsum, ecquidnam novi esset rogitando, expergefecit. Tum ille, proh, inquit, quam gratum, bellumque excussisti somnium! Quærente Raynerio, quidnam rei foret, somniabam, inquit, me esse Nemausi, oblatumque mihi fuisse ab Aurifice numisma aureum Julii Cæsaris pretio scutatorum quatuor, jamque eram illi, ad ipsum habendum, numeraturus pecuniam, cum excitante te importune, et ex oculis Aurifex, et ex manibus Numisma evanuit. Exinde, somnium nihil moratus, discessit Nemausum, et cum prandium appararetur, per civitatem digressus est. Casu autem plane stupendo in Aurificem ecce incidit, ex quo dum requireret, si quidpiam forte rarum haberet, habere se, ille respondit, Julium Cæsarem aureum. Rogavit quanti eum venderet; responsum, pretio scutatorum quatuor. Itaque id pretium statim numeravit, acceptoque Julio, suum somnium felicitate mira complevit.

Tam feliciter quidem non somniavit Noster, ut altera die iis codicibus vel libris revera potitus sit, quos somnians mente versabat; attamen subinde illis in-

y 5 somniis

somniis respondisse observavit *librariam*, ut eam per jocum nominare solebat, *fortunam*, quam faventissimam expertus est, ac oblata sibi esse erudita quædam cimelia, quæ vigilans antea sæpe exoptaverat.

De P. Athanasio KIRCHERO hæc memoriæ prodidit P. Caspar SCHOTTUS (u): *Decumbebat is gravi et periculoso morbo, nec medicis spes vitæ superesse videbatur ulla. Sciens hoc Kircherus, petivit a Medicis ac Collegii Romani Superiore, liceret sibi applicare remedium, quod saluti fore considerat. Conceditur. Postulat e pharmacopolio Collegii adferri sibi medicamenta soporifera, quæ nominaverat: miscet, sumit, somnum capit profundum ac jucundissimum, qui totam duravit noctem. Somniavit enim, Summum se Pontificem electum, et ingenti perfusum lætitia excipere Principum Christianorum legationes ac congratulationes, omniumque populorum applausus; tum variarum nationum ac gentium ædificare in urbe collegia ac templa, aliaque multa fidei Catholicæ propagandæ causa constituere. Evigilat mane, sanum se esse experitur, ac talis mox a Medico superveniente declaratur, magna omnium admiratione.* Vix crediderim, lætum illud inso-

(u) in physica curiosa Lib. III. Cap. 25. p. 524.

insomnium KIRCHERVM ex mortis eripuisse faucibus, sed medicamenta potius illa, quibus usus erat: at si somniorum tanta esset virtus, nulla magis futura fuisse VFFENBACHIO salutaria suspicor, quam quæ ipsi magnam vett. codicum librorumque rariorum vim obtulissent.

Rupertum Abbatem Tuitiensem tantopere se in scripturis sanctis exercitavisse narrat TRITHEMIVS (x), ut ne dormiens quidem a meditandis illis videretur posse quiescere, quin lingua et labia ejus quasi legendo moverentur.

Guilielmum vero SIRLETVM, Cardinalem doctissimum, sæpe somno correptum Græce aut Latine disputare auditum esse, et propterea nonneminem acute dixisse scribit Jo. PALATIVS (y), quod somnia ejus eruditiora fuerint, quam plerumque doctorum vigiliæ. Ita VFFENBACHIVS sæpe per quietem sibi videbatur legere libros, sæpe de iis Latino sermone idque ea vocis contentione disserebat, ut, cum jam esset maritus, isthac

(x) de scriptoribus Eccles. f. 93. edit. Fabricianæ.

(y) Vol. III. Aristocratiæ Eccles. f. 458.

hac ſermocinatione dilectiſſimam thori ſociam de ſomno excitaret, ab ea viciſſim deinde expergefactus. Tot autem libri et codices, revera non exiſtentes, viſi per quietem illi ſunt, ut ſæpe poſtea doluerit, quod eorum titulos haud literis conſignaverit, copioſam ſic *Bibliothecam e ſomniis* collecturus. Scilicet animo ſomniantis crebro obverſabantur libri de variis argumentis utilibus, quæ in rei literariæ incrementum ſtudioſius adhuc excuti optabat. Cumque eos non annotaverit, anſam hic arripio e beati viri ſchedis erudita ejus deſideria de varii generis operibus commemorandi, quæ, uti erat ad rei literariæ pomœria feliciter provehenda omni animi niſu inteņtus, non ſomnians quidem, ſed vigilans, adhuc concinnari volebat. Aſſurgunt illa ad trecenta, ſenſim ſenſimque ab eo in adverſariis annotata, e quibus pauca tantum recenſere juvat, ut tam, quanta fuerit ingenii perſpicacia, inde conſtet, quam eruditi fortaſſe lectores ad quædam hujusmodi argumenta ſolerter tractanda excitentur.* Adſpergemus vero iis ſubinde quasdam noſtras obſervatiunculas. Præter cætera autem ſunt ſequentia:

I. De hæreticis fictis. Nempe hiſtoriam eccleſiaſticam et patrum inprimis de hæreticis ſcripta figmentis haud eſſe deſtituta

tuta censebat, cumque, licet viri quidam eruditi plurimos horum hæreticorum fictorum exploserint, nemo hoc argumentum ex instituto tractaverit, arbitrabatur, operæ pretium fore, si quis illud diligenter excusserit. E veteribus Epiphanius illius culpæ haud expers est, ex recentioribus autem Frid. Staphylus, Wilh. Lindanus, Gabriel Prateolus, Floremundus Ræmundus, aliique multos confinxere hæreticos, qui nunquam extiterunt, et quorum nomina alias ne fando quidem sunt audita.

II. De docta, pia ac necessaria in theologicis et mysteriis sacris ignorantia, ubi ex historia ecclesiastica multis exemplis probari posset, plurimas hæreses ac ipsum atheismum ex theologorum ac S. Scripturæ interpretum temerariis ac nimis curiosis disquisitionibus et interpretationibus ortum duxisse. Inane illud Scholasticorum, quos nuncupant, acumen quousque progredi ausum sit, quis ignoret? Memorabilis de iis est locus Simonis de Cassia, sæculi XIII. scriptoris de gestis Domini Salvatoris, quem hic legendum dabimus: *Multi doctores appellati catholici nomine fuerunt, nescio si in animo extiterunt, novitate loquendi miscendo cum supernaturali theologia naturam, cum scriptura divina philosophicam historicam et poeticam, sibi ipsis supervoli-*

pervolitare sunt visi: et quod est certum in dubium revocantes per Vtrum: et quod est clarum et lucidum, in turbidum et obscurum redigentes per Vtrum: quod est sanum, infirmum facientes per Vtrum: quod est justum, prudens, modificatum, in contrarium vertentes per Vtrum: quod bonum, moribus et doctrina probatum, approbatum, comprobatum a Christo, ad litem revocantes per Vtrum: quod quaestione non indiget, ad verborum controversiam revocare per Vtrum. Si filius Dei necessario carnem assumsit, si de virgine absque semine, incorrupta lege naturae concipi et nasci potuit, volentes invenire per Vtrum. Si qua fecit, nitentes declarare per Vtrum: Si mandata sacramenta sunt necessaria, quomodo sunt possibilia, ad quid expedientia, quare tot et non plura, semper retractantes per Vtrum: Fere omnem scripturae punctum committentes ad Vtrum. Quod humana ratione nunquam potuit, aut poterit inveniri, comprehendere satagentes per Vtrum, simplices mentes fidelium pervertentes per Vtrum. Et syllogistica forma utentes, videntur nescire loqui nisi per Vtrum. Puram et simplicem et necessariam scripturae scientiam non habentes, additis syllogismis quaerunt apparere per Vtrum. Cum comprehenduntur a sanioribus et clarioribus, scutum syllogisticum et peltam faciunt Vtrum. Vtinam vero impia isthaec lascivientium ingeniorum foecunditas, coelum terrae, sacra profanis miscens,

in ordinem tandem coacta fuisset, nec e scholasticorum cancellis egressa serpsisset latius!

III Historia monstrorum literariorum, sive de sententiis doctorum virorum absurdis, quarum magna seges est. Fortunius LICETVS et alii integras monstrorum historias nobis dederunt: si quis vero in civitate erudita monstra literaria colligere, ac vivis coloribus depingere vellet, numerus monstrorum, quæ cerebrum eruditorum peperit, longe major futurus esset, quam quæ universa natura per varios errores in hoc universo physica ratione producit. Monstrorum hujusmodi ferax quondam fuit portentosum Guilielmi POSTELLI ingenium. Ex nostro autem ævo inter paradoxarum opinionum parentes potissimum referendi Jo. HARDVINVS, et qui idem Germaniæ nostræ fuit, quod ille suæ, dum viveret, Galliæ, Hermannus von der HARDT, Lucas item CVPERVS cum portentosis suis Paratitlis Chronologiæ et historiæ sacræ. Multis vero absonis opinionibus patridomania ansam præbuit, quod Goropii BECANI, Olai RVDBECKII aliorumque exempla demonstrant. Quis non miretur, eo insipientiæ progredi potuisse Petrum BANGIVM, ut in historia ecclesiasti-

clesiastica Sueo-Gothica Aboæ A. 1683. Lib. I. Cap. 3. Adamum protoplasten Sueciæ Episcopum venditare, Lib. II. Cap. 6. Magogo eandem dignitatem tribuere, et Lib. IV. C. 10. ac Lib. V. C. 3. asserere non erubesceret, temporibus Judicum et Babylonicæ captivitatis veram religionem in Suecia floruisse, superstitionemque et idololatriam postea demum ibidem propullulasse?

IV. Martyrologium philosophicum, sive de martyribus philosophicis e. g. Socrate et aliis tam veteribus, quam recentioribus ob philosophandi libertatem persecutionem vel mortem passis.

V. Vitæ doctorum virorum operibus ab editoribus præfixæ in usum rei literariæ studiosorum in unum corpus vel singulares fasciculos colligendæ, vel separatim etiam, si copiosius descriptæ sint, edendæ, quod pretiosa sæpe opera et a studiis multorum aliena ob solas vitas non facile comparentur. Factum id quidem jam esse a viris quibusdam eruditis, præclare hoc nomine de re literaria meritis, probe novimus, sed ut plures egregium isthoc institutum persequantur, optamus, cum tanta sit hujusmodi vitarum copia, labori huic faber ut desit, non fabro labor.

VI. De

VI. De magnis ac pretiosis operibus in compendium redigendis. Sic optandum foret maximopere, ut Acta Sanctorum Antwerpiensia, quod olim consilium TENZELIVS ceperat, in pauca volumina ita redigerentur, ut utilissima tantum et historica una cum eruditis dissertationibus BOLLANDI et successorum seorsim excuderentur, reliquis fabulosis iis relictis, qui siliquis et glande vesci cupiunt. Ita etiam RYMERI Acta et fœdera Anglicana in pauciora volumina redigi possent, neglectis illis, quæ ad nonnullas tantum familias Anglicanas spectant, aliisque nullius vel exigui momenti tabulis. Plerorumque ordinum monasticorum habentur Bibliothecæ, in quibus eruditi eorum viri laudantur, scriptaque illorum recensentur. Sunt autem omnes fere rarius obviæ ac pretiosæ. Valde igitur esset rei literariæ studiosis proficuum, si, Diis minorum gentium, quorum magna in illis est turba, omissis, ea tantum, quæ de celebriobus commemorantur viris, inde decerpta separatim ederentur. Nec inutile foret institutum, si quis judicio pollens ex insignioribus epistolarum collectionibus memorabiliora depromeret, inque concinnum ordinem digesta ac

aliquot voluminibus comprehenſa divulgaret, quod olim Henricus Ludolphus BENTHEMIVS meditabatur. (z)

VII. Monaſteriologium brevius quidem, quam BRVSCHII aliorumque huc pertinentia ſcripta ſunt, ſed plenius etiam, ſive Monaſteriorum Germaniæ catalogus, ſuis numeris abſolutus.

VIII. De miraculis librariis, quorum ingens præſertim congeri poſſet copia e vitis illorum, quos Pontifex Romanus ſanctorum in cœlis ordinibus adſcriptos voluit. Operis THOMÆ AQVINATIS de corpore Chriſti editioni vetuſtæ, A. 1473. curatæ, hæc in fine ſubjecta ſunt verba: *Hunc tractatum fecit eximius et egregius ac venerabilis excellens Doctor Sanctus Thomas de Aquino ordinis fratrum Prædicatorum ad petitionem quorundam Prælatorum et Baronum quaſi coactus, quem noluit publicare, niſi eſſet a Deo approbatus, quem accipiens et ſuper altare ponens, rogavit Dominum, ut ſi aliquis error in eo eſſet, oſtenderet, et, ſi*

(z) Conſilium TENZELII de hujusmodi Theſauro ex eruditorum epiſtolis colligendo vid. in ejus *Curieuſen Bibiliothec* Repoſitorio I. p. 200. ſqq.

si sibi placeret, et bene staret, manifestaret, quod et factum est. Unde cum ante altare propter hoc rogaret Dominum, subito a Domino est spiritu elevatus, et audivit vocem sibi dicentem: Thoma Dei electe, librum, quem de me fecisti, secure manifesta, quia, quicquid ibi dictum est, non a te, sed a Spiritu S. qui tecum est, dictum est, et non melius aliquis vivens in hoc mundo dicere posset. Hæc vidit et audivit quidam frater sanctus Bidellius, qui a longe stans omnia prædicta consideravit et respiciebat. Refert hæc etiam, tanquam exploratissimæ veritatis rem, Antonius PIZAMANVS, Patritius Venetus, in Legendis, quæ nuncupat, Sancti Thomæ, variis ejus opusculis, Venetiis A. 1490. in quadruplici forma editis præmissis, in quibus præterea hujus farinæ alia commemorantur: v. g. *Cum tertiam partem summæ theologicæ construeret, et passionem Domini ac resurrectionem præcipue annotaret, frater Dominicus quidam Casertanus in edicala* (forte leg. ædicula) *cœnobii Neapolitani divo Nicolao dicata duorum cubitorum spatio e terra levatum Thomam vidisse affirmat, ac Christi crucifixi simulacrum talia audivisse proferentem* (væ Prisciano misere vapulanti!): *Bene de me Thoma scripsisti. Quod ergo tuorum laborum præmium optas? Tum ille: Nullum, nisi gratiam tuam, teque, Domine dulcissime, suavissimum*

præmium exopto. Quis ergo, sodes, fidem huic Doctori Angelico et irrefragabili denegaret? Nisi forte, quod valde vereor, hæc in eorum referenda sint censum, de quibus Melchior CANVS, ejusdem quondam ordinis socius, prudenter pronunciavit (a): *Dolenter hoc dico potius, quam contumeliose, multo a Laërtio severius vitas philosophorum scriptas, quam a Christianis vitas Sanctorum: longeque incorruptius et integrius Suetonium res Cæsarum exposuisse, quam exposuerint Catholici, non res dico Imperatorum, sed Martyrum, Virginum et Confessorum. Illi enim in probis aut philosophis aut principibus nec vitia, nec suspiciones vitiorum tacent, in improbis vero etiam colores virtutum producunt. Nostri autem plerique vel affectibus inserviunt, vel de industria quoque ita multa confingunt, ut eorum me nimirum non solum pudeat, sed etiam tædeat. Hos enim intelligo ecclesiæ Christi cum nihil utilitatis attulisse, tum incommodationis plurimum.* Et quæ sunt reliqua, lectu haud indigna, quæ addere hic longum foret.

De

(a) Operum, junctim Coloniæ Agripp. A. 1605. editorum, Lib. XI. de humanæ historiæ auctoritate, Cap. VI. p. 533. sqq.

De libris epistolisque cœlo vel inferno delatis egregia extat dissertatio b. J. A. Schmidii. De tribus Sabiorum aut Mendæorum libris, de quibus portentosa fabulantur isti, habentur quædam in Epistolis Rob. HVNTINGTONI, ipsis ex Oriente potiti, p. 40. 43. 84. 85. inque illius vita, a Thoma SMITHO descripta, p. XXI. sq. De libris in incendio servatis multa facile congeri possent etc.

Cæsari Baronio, Ioanni Suerio ac Samueli Basnagio, factum esse miraculo videtur, ut concremata Hipponensi civitate a furentibus Vandalis, iisque Arianis, Augustini Bibliotheca permanserit illæsa; sed qua eam ratione, sine miraculo, licet non sine Numinis providentia, barbarorum furorem flammasque feliciter effugisse verisimile sit, erudite ostendit in egregia dissertatione de fortuna Bibliothecæ D. Augustini in excidio Hipponensi elegantissimus vir Jo. Martinus CHLADENIVS filius.

IX. De legatis literariis vel iis, qui ad conquirendos libros et codices veteres variaque antiquitatis monumenta per orbem missi sunt. Ita Peirescius suos emissarios habuit; sic etiam olim Joan-

nes Lascares a magno illo Musarum fautore Laurentio Medice bis ad Bajazethem Byzantium missus est, ut bona cum ejus venia Græcos conquirere codices, inque Italiam transferre ipsi liceret: pariter Joannes Heistmers de Zonvelben (b) et Faustus Sabæus (c) a Leone X. Pont. Rom. in Germaniam, Daniam et Sueciam, Guil. Postellus ac Petrus Gillius a Françisco I. Galliarum rege in Græciam et Asiam ad antiquos codices colligendos, Franciscus Lismaninus a Sigism. Augusto Poloniæ rege ad exteros et præsertim Helvetios, ut Bibliothecam regiam omnium generum libris instructam redderet, et Nicolaus CISNERVS ab Ottone Henrico, Electore Palatino, quaqua versum, maxime in Italiam et Galliam ad Bibliothecam

(b) vid. P. BAYLE Dictionaire Historique et Critique, Tom. II. f. 1687. sq. edit. III. Roterod. ac Erici *Pontopidani* præfat. ad I. Tom. Annalium ecclesiæ Danicæ diplomaticorum, p. 11. sqq. add. P. Martini KROPFF Biblioth. Mellicens. p. 76. sq.

(c) vid. Eminentiss. D. Card. QVIRINI opus, optima fruge plenum, de Brixiana Literatura, Part. II. p. 167.

cam Heidelbergensem codicibus rarissimis locupletandam ablegati fuerunt. Recentiori autem ævo hujusmodi legationes obiere Eduard. Pocockius, Jo. Gravius, Guil. Pettæus, Gabr. Naudæus, If. Vossius, Nic. Heinsius, Jobus Ludolphus, Jo. Mich. Wanslebius, Arnas Magnæus, Jo. Mabillonius, Mich. Germanus, Bern. Montfauconius, Edm. Martenne, Vrsinus Durandus, Jos. Sim. Assemannus, Abbas Fourmontius, Schannatus, Schumacherus, Bibliothecæ Imperialis Petropolitanæ præfectus Jo. Christianus Gœzius, aliique plures et potissimum Galli.

X. De titulis ineptis ac allegoricis librorum.

XI. De nummis in honorem doctorum virorum cusis, sive historia literaria ex nummis illustrata.

XII. De titulis apud veteres et medio ævo usitatis, variaque eorum pro temporum diversitate significatione, valore etc. De veteri et medio ævo argumentum hoc nondum ex instituto est excussum, multaque possent ad illustrandos auctores veteres ac historiam medii ævi elucidandam observari.

 Sel-

Seldeni et Becmanni opera magis ad recentiorem ætatem ſpectant. Codinus, Gutherius aliique ad priſci ævi titulos illuſtrandos multum ſubſidii præſtare poſſent; de media autem ætate res foret operoſioris induſtriæ, quippe nondum ſatis exculta.

XIII. De libris raris, aſt nullius pretii, etſi magno redimi ſoleant.

XIV. De libris raris ac revera præſtantibus, quorum editio nova optanda.

XV. De libris et ſcriptoribus fictis ac qui nunquam in rerum natura extiterunt. Huc referendus inprimis liber de tribus impoſtoribus, quem tempore Friderici II. Imp. ſcriptum tradunt. De hujus farinæ libris integra *Bibliotheca Utopica* conſcribi poſſet.

XVI. Commentarius in illud Poëtæ:
Pro captu lectoris habent ſua fata libelli.
ubi præſertim pugnantia invicem de variis libri judicia afferri mererentur, librisque recenſeri, qui initio neglecti, poſtea in ſummo pretio habiti fuerunt.

XVII. De librorum in ipſa copia penuria, ſeu demonſtratio, quod librorum (ſcilicet

licet bonorum) penuria ac (malorum) copia laboremus.

XVIII. De reliquiis ſeu veſtigiis S. Scripturæ et religionis Judaicæ ac Chriſtianæ apud veteres auctores, ac de illis, quæ in eorum ſcriptis de iisdem memorantur. Licet enim nonnulla hujusmodi a variis docte ſint excuſſa, plenum tamen de hoc argumento opus adhuc deſideratur.

XIX. De neceſſaria noſtro ſæculo polymathia ſeu polyhiſtoria.

XX. De ſcriptorum de methodo ſtudiorum ineptiis. Multorum enim ejusmodi ſcriptorum conſilia vel ſunt jejuna vel nimis operoſa. Ita v. g. ad ZWINGERI methodum peregrinaturo opus foret Mathuſalemi ætate, Croeſi divitiis, adverſariorum, in quæ varia notentur, plauſtris, integraque bibliotheca etc.

XXI. De libris et ſcriptis tum veterum tnm recentiorum ſpuriis, vel ſuppoſitiis.

XXII. De codicum vett. inventoribus atque vindicibus, ſeu iis, qui auctores vett. primi repererunt, ac ab interitu vindicarunt.

XXIII. De studiorum periodis, et quæ singulis sæculis in diversis orbis partibus maxime floruerint. Huc spectat celeberrimi ac politissimi Viri Jo. Matth. GESNERI elegans dissertatio epistolaris de vi consuetudinis ac sæculi in studiis literarum, b. Sigism. Jac. APINI Lexico Grammatico præfixa: sed dignum foret hoc argumentum, quod ex instituto excuteretur, ac diligenter per omnia sæcula diduceretur.

XXIV. De aureis orbis literarii sæculis.

XXV. Pia doctorum desideria quoad disciplinas, sive eruditorum de melius excolendis studiis desiderata in eorum scriptis hinc inde occurrentia.

XXVI. Pia doctorum virorum desideria circa libros adhuc deficientes vel scribendos, vel aliorum denuo edendos aut colligendos, sive Eruditorum circa eosdem desiderata in scriptis ipsorum hinc inde occurrentia.

XXVII. Bibliotheca obscurorum virorum, sive catalogus librorum, qui stylo obscurorum virorum scripti sunt.

XXVIII. De viris illustribus ac de Rep. optime atque immortaliter meritis, quorum

rum tamen memoria in obſcuro latet, ac vita a nomine deſcripta eſt.

XXIX. Bibliotheca inſtructa, ſive de re bibliothecaria ac quid in condenda ac inſtruenda bibliotheca præprimis obſervandum ſit, Syntagma, non modo ex præſtantioribus huc facientibus ſcriptis ſed propria etiam experientia contextum. Hoc ipſemet adornare aliquando ſibi beatus vir propoſuit, in hac arte vere Roſcius. Quantum autem, quæſo, optimæ frugis in eo habituri fuiſſemus, niſi egregium hoc conſilium per alia negotia fuiſſet ſufflaminatum?

XXX. De hiſtoricis arcanis, quæ in ſcriptis tam veterum quam recentiorum epiſticis occurrunt, colligendis. REIMMANNVS in catalogo ſuo pluribus in locis monet, quæ in talibus occurrant ad hiſtoriam eruditorum arcanam ſpectantia ac nullibi alias obvia. Sed prudentia et limato opus eſſet judicio, ne ſtatim omnia, quæ calumnioſe vel partium ſtudio enarrantur, pro veritate accipiantur.

XXXI. De libris ex ſiniſtra eruditorum virorum fortuna natis. Copioſum et jucundum foret hoc argumentum. Quot enim

enim, quæso. libros paupertas, quæ Horatium, ut versus faceret, impulit, carcer, exilium, Bellonæ rabies, exauctoratio, morbi, propinquorum obitus, persecutiones, bibliothecarum incendia, inimicorum obtrectationes, aliique funesti casus et fortunæ sævientis insultus pepererunt?

XXXII. De responsis ac consiliis theologicis, medicis, philosophicis, criticis Diaboli colligendis. Notum enim est, fuisse viros doctos, quos malesana curiositas impulit, ut ab ipso cacodæmone dubiorum quorundam solutiones sciscitarentur, quod de Petro COTONO Thuanus, de Hermolao BARBARO Petrus Crinitus, de aliis alii tradunt.

XXXIII. De variis causis, cur tot veteres libri aliaque antiquitatis monumenta interciderint. Earum haud minima est priscorum Christianorum ac patrum etiam quorundam nimius adversus ethnicos et heterodoxos scriptores Zelus, quo factum est, ut eorum non pauci abolerentur. Rarissima sunt integra veterum hæreticorum scripta, utpote suppressa atque internecioni a patribus data, de quo tamen consilio BASNAGII judicium, in hujusce commentationis parte

prima

prima p. LXXIII. adductum, considera-
tu dignum censeo. Ex hoc inconsulto
etiam zelo profectum observat Dan.
MAICHELIVS in Historia literaria de
præcipuis Bibliothecis Parisiensibus p.
58. sq. quod multa Patrum Græcorum,
quorum doctrina suspecta erat, scripta
perierint, vel saltem mutilationem passa
fuerint. Imo ipse MONTFAVCONIVS,
ab eo allegatus, huic causæ tribuit, quod
Origenis, Theodori Heracleotæ, Apol-
linarii, Didymi et Theodori Mopsueste-
ni commentarii in Psalmos jamdiu exce-
ptis Catenarum laciniis pessum ierint,
quia hi scriptores violatæ fidei sive rei
sive suspecti adeo perosi Græcis erant,
ut ne nomen quidem proferrent sine in-
dignantis animi significatione. Nec in-
credibile est, hinc etiam Eusebii commen-
tarios in Psalterium insigni parte trunca-
tos esse.

Qua ratione factum sit, ut ex omnibus
Lyricis Græcis, Pindarum si excipias,
quædam tantum fragmenta supersint,
tradit Petrus ALCYONIVS, in libro
de Exilio ad Joannem Medicem, qui po-
stea fuit Leo X. Pont. Rom. sic pero-
rantem introductus (*):

Audi-

(*) vid. Pauli COLOMESII opera, D.
Jo. Alb. FABRICII studio recusa, p. 291.

Audiebam puer ex Demetrio Chalcondyla, Graecarum rerum peritissimo, sacerdotes Graecos tanta floruisse auctoritate apud Caesares Byzantinos, ut integra, illorum gratia, complura de veteribus Graecis poemata combusserint, inprimisque ea, ubi amores, turpes lusus, et nequitia amantum continebantur, atque ita Menandri, Diphili, Apollodori, Philemonis, Alexis fabellas, et Sapphus, Erinnae, Anacreontis, Mimnemi, Bionis, Alcmanis, Alcaei carmina intercidisse: tum pro his substituta Nazianzeni nostri poemata, quae etsi excitant animos nostrorum hominum ad flagrantiorem religionis cultum, non tamen verborum Atticorum proprietatem et Graecae linguae elegantiam edocent. Turpiter quidem Sacerdotes isti in veteres Graecos malevoli fuerunt, sed integritatis probitatis et religionis maximum dedere testimonium.

Illos praepostere imitati Gregorius IX. Innocentius IV. aliique Pontifices, qui Judaeorum libros et inprimis Talmudica volumina feralibus flammis addicentes, ingentem literaturae Talmudicae et Rabbinicae cladem intulere(d): quorum vestigia in Arabicis libris exitio dandis inconcinne pressit Franciscus XIMENI-

VS

(d) vid. Joh. Christoph. WAGENSEILII doctissimam praefationem, Telis igneis Satanae praemissam. p. 10. sqq.

VS Card. et Archiepiſcopus quondam Toletanus, de quo hæc Lib. II. de ejus rebus geſtis refert Alvarus GOMESIVS: *Is cum Mahometanæ perfidiæ extirpandæ in regno Granatenſi aliisque Hiſpaniæ locis intentus eſſet, in id quoque diligenter incubuit, ut libri, quibus ſuperſtitio illa tradebatur, abolerentur. Alfaquinis ergo (ſic Mauri ſacrorum antiſtites nominant) ad omnia obſequia eo tempore exhibenda promptis, Alchoranos, i. e. ſuæ ſuperſtitionis graviſſimos libros, et omnes, cujuscunque autoris et generis eſſent, Mahumetanæ impietatis codices, facile ſine edicto aut vi, ut in publicum adducerentur, impetravit. Quinque millia voluminum auro etiam et argento exornata, non oculos modo, ſed animos quoque ſpectantium rapiebant. Multi iis ſe donari a Ximenio petierunt, ſed nemini quicquam conceſſum eſt: ignibus omnia, publica in pyra, ad unum exuſta, præterquam aliquot ad rem medicam pertinentia, cujus gens illa non ſine magno profectu ſtudioſiſſima ſemper fuit, quæ propter ſaluberrimæ artis dignitatem ex incendio illo liberata, in Bibliotheca Complutenſi nunc ſervantur.* Quanto fuiſſet ſatius, reliquos etiam theſauris librariis ceu inſignia cimelia inferre, eaque, quæ religionem ſpectant, non igne ſed argumentorum pondere refellere? Mihi equidem XIMENIVS quantum ſplendorem laudatiſſima illa Bibliorum πολυγλώττων editione

ne nomini suo conciliavit, tantam eidem hoc truculento facinore maculam inussisse videtur.

Idem quoque perversus religionis zelus in Anglia multas bibliothecas, priscis codicibus refertas, pessum dedit. Sub Henrico VIII. enim, cum Monasteriorum in Anglia strages passim fieret, in libros innoxios, qui in monasteriis illis erant, saevitum etiam fuit: isque religiosus furor sub Eduardo VI. Bibliothecas Academiae Oxoniensis' quoque invasit, consilio quorundam hominum, qui, ne quicquam superstitionis remaneret, ipsam eruditionem exstirpandam arbitrabantur. Cum enim iis mandatum esset, ut Academiam a Papismo purgarent, putarunt, sese officio defuturos, nisi libros etiam, quos ibi reperirent, absque discrimine tollerent. Hinc illorum virorum censuram ne effugerunt quidem Patres antiqui, opera Petri Lombardi, Thomae Aquinatis, Scoti et Scholasticorum: quotquot etiam Codices illustrati erant Commentariis pontificiorum, aut rubris literis in fronte exornati. Qui vero lineas, circulos, aut alias figuras continerent, hoc est, rem mathematicam tractarent, tanquam artis magicae reos flammis committendos duxerunt. Sub hoc reli-

religionis prætextu purgarunt bibliothecas Balionenſem, Mertonenſem, Lincolnienſem, aliasque ad privata Collegia pertinentes; quarum libri vel combuſti ſunt, vel attriti, vel uſibus viliſſimis addicti. Magni etenim acervi librorum in feretris ad publicum forum deportati, ibique flammis abſumti ſunt; affirmatque Joannes BALEVS (Declarat. in Itinerarium Lelandi), ſe propolam noviſſe, qui duas bibliothecas quadraginta ſolidis emerit, cumque toto decennio libris, chartæ emporeticæ loco, uſus fuiſſet, dimidiam tamen eorum partem adhuc ſuperfuiſſe. Cum privatis publicam etiam, ſive Humfredianam bibliothecam, tum temporis eidem homines diripuerunt, eamque libris, quorum magna erat copia, ita ſpoliarunt, ut, habita inquiſitione ſub Maria Regina, ne unus quidem liber ex omnibus, præter Valerium Maximum, in ea inventus fuerit. Detracto hunc in modum apparatu librorum, ipſa bibliotheca ſordidiſſimis uſibus addicta eſt, et anno 1555. cum nulla ſpes eſſet in priſtinum ſtatum reſtituendi, Academici vendenda ſubſellia cenſuere (e). Ad

(e) Hæc ex hiſtoria Bibliothecæ Bodlejanæ,

Ad caussas etiam jacturæ rei literariæ referendam esse, sunt, qui existiment, industriam quorundam, in compendium veteres scriptores redigentium (*). Sic Justinus, judice MONTFAVCONIO (f), epitome sua Trogum nobilissimum scriptorem confodit, ac de medio sustulit: perinde atque Livius magna sui parte periit, Floro et argumentorum auctore perniciem inferentibus. Editis quippe compendiis auctores primi valere jussi, paulatim incuria vel funditus interierunt, vel mutilati magna sui parte sunt. Idem fere

janæ, Catalogis librorum MSS. Angliæ et Hiberniæ in unnm collectis et Oxoniæ A. 1697. in fol. ab Eduardo BERNARDO editis, commemorant Ludolphus NEOCORVS et Henricus SIKIVS in Bibliotheca librorum novorum, Tom. II. p. 803. sq.

(*) Longe aliter sentit Jac. Frid. REIMMANNVS, qui Petri LAMBECII et Dan. NESSELII Commentarios de Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi in compendium misit, in Dissertatione hujus concinnæ Epitomes præliminari, p. 109. sqq.

(f) in Diario Italico Cap. VI. p. 96.

fere fatum subiere (g) Sexti Pompeji Festi libri de verborum significatione, qui integri extitere usque ad Caroli M. ætatem, qua Paulus Diaconus, Longobardus, eos fœde mutilavit, ac in compendium redegit, ut ipse Festus Verrium Flaccum breviaverat: qua re brevi factum est, ut verum Festi opus non amplius appareret. Sensim tamen literis renascentibus variæ ejus reliquiæ exitio feliciter ereptæ sunt.

Perniciosa porro præstantissimis vetustæ ætatis cimeliis fuit inscitia barbariesque in medio ævo ingruens, cujus præter alia triste testimonium perhibent codices δευτερογράφοι, vel rescripti, in quibus priori scriptura obliterata, quantumque fieri poterat, crasa, alia recentior superaddita conspicitur, ita tamen, ut in membranis vel eradentium conatus et inepti artificii vestigia, vel alia quædam signa supersint, nonnunquam etiam scriptura vetus, a recentiore superillita fere absorpta, licet difficillime, adhuc legi

 queat,

(g) vid. L. Neocori et Henr. Sikii Bibliothec. nov. librorum Tom. IV. p. 232. sq.

ſe reperiſſe commemorans, ubi prioribus eraſis nova ſupra ſcripta fuerint. Servavit ipſe etiam VFFENBACHIVS in gaza ſua hujus notæ codicem membraneum, non ſolum ob Canonis Miſſæ antiquitatem ſuſpiciendum, ſed ideo quoque æſtimandum, quod e numero reſcriptorum et pumice planatorum fuerit (k), teſtis illius cladis, quam medii ævi ruditas ac inculta ſciolorum parſimonia vetuſtis ſcriptoribus intulit.

Inſuper hujus jacturæ cauſis accenſenda codicum ante artis typographicæ inventionem caritas et pretium, bella, incendia, aquarum inundationes, invidia plurima ſupprimens, bibliotaphorum livor, monachorum invidia, ignavia atque ignorantia, qui vett. codices in bibliothecis ſuis vel ſitu et ſqualore obſitos captivos tenuere, tineis, blattis, gliribusve in eſcam ſervantes, vel etiam lucri cauſa bibliopegis, bracteatoribus, cribrariis, aliisque ad uſus profanos conceſſerunt etc. Deploravimus jam in prima hujus commentationis parte acerbis gemitibus

aa 3 gran-

(k) vid. ejus Biblioth. MStam, Part. IV. col. 33.

riculis evaserant illæsæ. Audiamus ergo justissimos viri optimi questus (l), et cum iis nostrum dolorem sociemus. Ita vero ille: „Esse quid hoc di„cam, quod accuratus nostrorum „recentis hujus sæculi hominum sty„lus desumserit sibi aliqua cum ambi„tione narranda bella Gallica, Germa„nica, Belgica, Hungarica; et nemo ani„mum adjecerit ad enarrandum bellum „atrox intestinum, quod barbaries quo„tidie concipit, commovet, agitat ad„versus elegantiam veteris ævi, qua „una stat perenne decus Italiæ nostræ? „Et sane majores illi nostri, quorum „nominibus etiam nunc non sine ali„qua veneratione assurgimus, cum æ„ternitatem perpetim cogitarent, sub„sidia sibi advocarunt earum rerum, „quæ ætatem ferre, et propagare pos„sent res æterna memoria dignissimas.

 „Hinc

(l) Symbolar. Epistolic. L. I. Epist. XXXVIII. p. 149. sqq. edit. Patavin. A. 1629. in 8. Hunc librum jam rarissimum suo ævo fuisse testatur Joh. Isacius PONTANUS in literis A. 1632. scriptis, vid. Syllogen epistolarum ab Ant. MATTHÆO Lugd. Bat. A. 1695. evulgatarum p. 153.

„Hinc sepofuerunt sibi papyros, mem-„branas, marmora, metalla, quibus con-„signarent doctrinarum praecepta, se-„riem rerum ab ipsis gestarum, vultus „suos, descriptionesque illorum aedifi-„ciorum, quibus non mortales, sed he-„röes et genii manum ingeniumque „commodassent. Verum barbaries non „irrepens, sed palam, post renatas li-„teras, sub larva virilis frugalitatis, hoc „totum inconditis lacertis, et machi-„nis muralibus aggressa est demoliri. „Papyros enim tineis, blattis, sordibus, „situi objecit. Membranas cribris, cy-„tharis, et operculis trullarum vina-„riarum destinavit. Marmora vel in „fornaces calcarias, vel in fundamenta „murorum conjecit. Metalla in pel-„ves, cacabos et mortariola conflavit, „ut nimirum memoria omnis insignium „rerum funditus et radicitus periret.

O nova pugnandi species! non ales harundo
Nervo pulsa fugit, nec stridula lancea torto
Emicat amento, frameam nec dextra minatur.

„Papyri folia hodie adeo raro appa-„rent, ut miraculo sint et segmentis „potius,

„potius, quam totis voluminibus or-
„nent bibliothecas. Me adolescente
„magna copia librorum in membranis
„descriptorum ex oppido agri nostri
„non infrequente, neque obscuri no-
„minis, Venetias translata est, pretio
„redemta ab iis, qui vina Cretica ven-
„ditant; cui usui, nemo non intelligit.
„Marmora literata infringi, corrumpi,
„perverse locari, terra obrui passim vi-
„demus. Et satis notum est, quod
„non sine stomacho narrat Borghinius,
„de origine Florentina, caput Q. Fa-
„bii Maximi in theatro Florentino eru-
„tum, mox fuisse projectum in funda-
„menta, quæ recens locabat homo stoli-
„dus, qui thesaurum nactus erat Æsopio
„gallinaceo similis. Neque ab isto e-
„gregie fatuo valde abiit homo ex Ve-
„netia nostra, qui nummos aureos an-
„tiquos multos et pretiosos conflavit,
„ut torquem uxori ex iis pararet. In
„genere insaniæ non erat, cur Hispania
„Italiæ concederet: quando, referente
„A. Schotto Cl. viro in Bibliotheca His-
„panica, ex magna et accurate collecta
„numismatum veterum copia heres Jo.
„Andreæ Stranei Valentini eruditi ho-
„minis mortarium ad pharmacopolii sui
„usum sibi conflari curavit, dignus uti-
„que ipse pistillis, sed in grandiore

 „mor-

„mortario Anaxarchi more tundi. At
„hisce ſtolide, neſcio imperitis an pravis
„faſtigium amentiæ impoſuit, niſi quis
„improbitatem appellare malit, aurifa-
„ber quidam Romæ, qui me ibi degen-
„te, A. MDCVI. non aliam flaturariam
„profitebatur, quam nummorum vete-
„rum aureorum et argenteorum, quo
„etiam titulo artificium ſuum vendita-
„bat. Et hoc Romæ videbatur, et fere-
„batur, ubi olim lex Cornelia nummaria
„lata fuit, qua tenebatur, ut inquit Pau-
„lus ICtus Lib. I. Sentent. tit. XXV.
„qui nummos aureos, argenteos adulte-
„raviſſet,laviſſet,conflaviſſet,raſiſſet cor-
„rupiſſet etc. At hæc non vitia hominum
„eſſe quis clamet, ſed barbariei, ut di-
„ximus, quæ etiam me inſpectante ma-
„nus temerarias admovit, ſed irrito co-
„natu, Arcui triumphali, quem S. P.
„Q. R. Fl. Conſtantino Max Aug. dicave-
„rat. Vt videlicet novatores Tranſalpi-
„ni poſſent aliquando dicere, Conſtan-
„tinum Romæ nunquam fuiſſe; et fa-
„bulas eſſe noſtrorum hominum, quæ
„de lepra Conſtantini, de ejusdem in
„ſacras baſilicas munificentia feruntur.
„Vidit hoc Paulus V. P. M. qui hujus-
„modi temeritatem tunc coërcuit, et
„Pompejo Arrigonio ſummæ dignitatis
„Cardinali ſe purgavit, factum dete-
„ſtanti,

„ſtanti, et improbitatem fabrorum ar-
„guenti: et profecto Antas ſtriatas, quæ
„fuerant ablatæ, Pontifex urbani de-
„coris mire ſtudioſus reponi juſſit, hoc
„uno parum æquus, quod eum, cujus
„auſu præclarum veſtigium antiquitatis
„tentatum fuerat, indemnem reliquit.
„Debuit enim hominem aliqua ſaltem
„ignominiæ nota reſpergere, tum ut
„hujusmodi harpiyæ abſtinerent dein-
„ceps ungues a parietinis venerandis,
„tum ut malevolis os obſtrueretur, qui
„Sixti V. beneficentia factum eſſe di-
„cunt, ut Severi Septizonio careamus,
„et aliorum Pontificum incuriæ, non
„barbarorum immanitati, adſcribunt Co-
„loſſei populationem, cujus marmori-
„bus detractis et alio translatis ſuccre-
„verint ædificia recentiora, magno cum
„priſcæ gloriæ detrimento, nec mino-
„re probro eorum, qui hujusmodi fa-
„cinora poterant inhibere. Vere enim
„ſcripſit, quisquis ille fuit, nihil eſſe,
„quod de veteris Romæ majeſtate do-
„cere nos poſſit, præter ipſas ruinas
„etc. „

Aut fallor, aut digitum hic PIGNORIVS ſub finem intendit in BARBERINOS, quorum unus tum, Vrbani VIII. nomine, ſupremus eccleſiæ Romanæ præ-
ſul

ſul erat, alter Franciſcus, illius ex fratre nepos, præcipuum inter Vaticanos patres purpuratos locum occupabat. Hi enim, licet elegantiori doctrina ornatiſſimi fuerint, ac Muſis impenſe faverint, cum manus tamen magnificis quibusdam priſci ævi operibus injicerent, ut marmora hinc detracta ad novas ſtructiones ſuas adhiberent, variis dicteriis, iisque mordaciſſimis, Romæ a Paſquino proſciſſi ſunt, inter cætera de illis clamitante: *Quod non fecerunt barbari, fecere Barberini:* ut nuper mihi vir quidam eruditus Italus retulit.

Cæterum inficetus ille pharmacopola Hiſpanus ac aurifaber Romanus, in quos jure PIGNORIVS invehitur, in memoriam mihi revocant barbarum illum fabrum ærarium, Amaſiæ, Aſiæ minoris urbis quondam inquilinum, de quo hæc Aug. Gislenius BVSBEQVIVS in prima ſua epiſtola itineraria p. 86. edit. Elzevir. A. 1633. indignabundus commemorat: *Faber quidam ærarius mihi magnopere movit ſtomachum, a quo cum numismata requireremus, ingentem ſe aulam* (ſive ollam) *paucis ante diebus plenam habuiſſe, narrabat, ex quibus lebetes æneos aliquot conflaſſet, quod nullum eorum aut uſum aut pretium putaret eſſe. Sane magno mihi erat dolori, tantum periiſſe antiquitatis. Sed ego illum ita ultus ſum, ut dicerem, me*

centum

centum aureos pro iis, superessent modo, numeraturum. Sic illum non minus amisso eo e faucibus bolo tristem a me dimisi, quam ille me ea vetustatis jactura commoverat.

Eadem fere ratione protervam cujusdam Hungari, qui quadringentos se, una cum manipularibus, Turcicos codices, Morabodo seu sacerdoti cuidam Muhamedano ereptos, in ignem conjecisse referebat, malitiam castigavit Jacobus TOLLIVS. vid. ejus Epistolas itinerarias p. 150. Hunc excursum ne ægre, quæso, ferat lector benevolus, quem propterea, justo dolore motus, institui, ut hoc fortassis modo viri docti industriam excitem ad isthoc argumentum, lugubre quidem, sed non indignum, copiosius persequendum.

Hand equidem ignoro, extare M. Friderici BOLZII Commentationem de caussis jacturæ rei literariæ, Witteb. 1717. typis in 4. exscriptam (m): non tamen actum acturum, aut Iliada post Homerum scripturum arbitror, si quis insigne hoc argu-

(m) conf. de ea judicium REIMANNI in Catalogi Bibliothecæ suæ systematico-crit. Tom. II. p. 392. sq.

argumentum nova et accurata industria excutere, luculentisque exemplis illustratum dare voluerit.

XXXIV. De Bibliomania. Ipse Vir optimus postremis vitæ suæ annis dialogos de ea satyricos meditabatur, de quo instituto ad me A. MDCCXXXII. d. IX. Febr. hæc perscripsit: „Quo melius constet de rationibus, quæ me impulerunt, ut ex immenso illo, cui memet imprudenter satis commiseram, ac pene immerseram, Oceano evaderem, dialogos nonnullos satyricos in *Bibliomaniam* meditatus hactenus sum. „Cum enim hac ipsa quodammodo, ingenue fateor, laborarim, non contemnenda me aliis dare posse consilia reor, „si ea, quæ propria experientia, optima in omnibus magistra, me docuit, „fideliter exponerem. Monstrabo igitur, si modo Deus vitam viresque concedat, quid bibliothecam comparaturo, antequam tale consilium ineat, probe ac prudenter perpendendum, et „quomodo cavendum sit, ne imprudenter nimis inexhausto librario huic oceano nos committamus: deinde quid „in ipsa collectione, si bono gaudere „velit successu, et agendum et evitandum sit, ne bibliophilia, quæ sola

„virum

„virum prudentem decet, in biblio-
„maniam vergat. Fideliter itaque ex-
„ponam non modo media illa omnia,
„quæ feliciter mihi in acquirendis bo-
„nis libris cesserunt, sed scopulos etiam
„ac Syrtes (ubi variæ bibliopolarum in-
„primis fraudes detegentur) indicabo
„libere, in quas vel ipsemet impegi, vel
„quas ego quidem feliciter evasi, per
„easdem vero alios naufragium vel jam
„passos, vel pati facile posse animad-
„verti. Vides, Schelhorni amicissime,
„quam arduum opus moliar, ubi non
„modo omnia, quæ ad rem bibliothe-
„cariam in se spectatam, sed etiam quæ
„ad universam rem librariam ac histo-
„riam literariam faciunt, erunt conge-
„renda. Rogandus igitur es, ut ea, quæ
„in adversariis tuis ad hoc institutum
„pertinentia habes, benivole concede-
„re velis. Varia equidem de biblio-
„thecis earumque comparatione scripta
„monitaque prostant, quorum amplam,
„utinam nitidiorem! nobis dedit col-
„lectionem Jo. AndreasSchmidius, quem
„novissime secutus est Kœlerus meus:
„nullum tamen horum scriptorum, si il-
„lud, quod Naudæus dedit, excipiam,
„mihi satisfecit. Plurima sane consi-
„lia, eaque saluberrima, omissa animad-
„verto, necessariasque cautelas, quas
ipsa

„ipsa me docuit experientia, bene mul-
„tas suggerere me posse spero. Quod
„si præstitero, feliciorem me existima-
„bo, quam conatibus illis ipsis, qui-
„bus bibliothecam olim comparavi, li-
„cet, si amicorum blandientibus judi-
„ciis credere fas est, haud invita Mi-
„nerva eandem non modo collegisse, sed
„eadem etiam rem literariam bonaque
„eruditorum studia adjuvisse, videri mi-
„hi queam. Quamvis etiam bonum
„hunc, quem ita, crede mihi, proposui
„mihi, finem non plane attigerim, since-
„ra tamen, quæ mihi semper fuit, volun-
„tas a nemine, confido, erit culpanda.
„Tu sane, Vir amicissime, de eadem,
„si quis alius, eris persuasissimus.„ Vti-
nam vero isthoc consilium exequi Viro
consummatissimo per negotia et fata li-
cuisset! Tunc enim sane post hunc Ho-
merum nemini facile hujus argumenti
Ilias scribenda fuisset.

Cæterum locum hic habere potest il-
lud MORHOFII (n): *Ignosci privatis de-
bet, si discendi* (addo, et aliorum studiis in-
serviendi) *cupiditate abrepti, cum rei suæ fa-
miliaris jactura heic insaniant. Etenim, si un-
quam,*

(n) Polyhist. literar. Lib. I. Cap. III. p. 28.

quam hoc cum ratione insanire est: qua multos ita abductos vidimus, ut vel genium fraudarent, quo animum his deliciis pascerent; aliqui vel vitam sibi acerbam existimarunt, si libris sibi carendum foret, ut igne et aqua sibi interdici tolerabilius habuerint, quam librorum jacturam facere.

Sed hæc speciminis loco sufficiant. Nunc quo ordine Bibliothecam suam, tanto studio æreque conquisitam, disposuerit Mæcenas noster, indicandum venit. Anno MDCCXXV. illa per decem conclavia erat collocata, quorum duo satis spatiosa fuere. In primo ii asservabantur libri, qui instruendæ ac solerter usurpandæ bibliothecæ fundamentum veluti sternunt; videlicet I. rei literariæ ac librariæ Scriptores. II. Biographi. III. Diaria Eruditorum. IV. Epistolographi, quippe qui plurimum ad notitiam historiæ literariæ ac rei librariæ conferunt. V. Catalogi celebriorum bibliothecarum. VI. Scriptores de ordinibus ecclesiasticis. VII. Scriptores de methodo studiorum instituendorum. VIII. Lexica, quæ nuncupant, realia. IX. Lexica verbalia variarum linguarum. X. Insignis et copiosa congeries iconum virorum eruditorum, vel æri vel ligno incisarum, quæ in

varia chartophylacia secundum facultates, quas vocant, scite digestæ erant.

Alterum conclave replebant libri, qui Historiæ fundamenti loco inserviunt: nimirum I. Geographici et Topographici. II. Itinerum Scriptores. III. Chronologici. IV. Genealogici. V. Antiquitatum et rei nummariæ Scriptores. VI. Compendia historica.

Conclave tertium, idque omnium amplissimum, ornabat ipse apparatus historicus, hoc ordine dispositus. Scilicet hic comparebant I. Historiæ universalis scriptores. II. Rerum Germanicarum et alii in corpus redacti scriptores. III. Historiæ Germanicæ Scriptores varii. IV. Rerum Belgicarum Scriptores. V. Historiæ Britannicæ Scriptores. VI. Historiæ Gallicæ Scriptores. VII. Historiæ Italicæ, Hispanicæ et cæterarum gentium Scriptores. VIII. Notabilis et ingens collectio Chronicorum singularium, vel Historiæ particularis multarum urbium Scriptores.

In quarto Conclavi exstabant præsertim Juris publici et politici Scriptores, hac serie I. Politici Scriptores. II. Juris publici et feudalis Scriptores. III. Acta

Acta publica. IV. Deductiones causarum illustrium, magno sumtu studioque feliciter congestae: et quia spatio parcendum erat, huc etiam V. fuere collocati duobus in repositoriis Libri post artis typographicae inventionem ab A. MCCCCLX. ad A. usque MDXX. typis excusi, magno numero: ac VI. ingenti scrinio reticulato inclusi Libri collati, et manu doctorum Virorum illustrati.

Quintum Conclave condecorabant Libri manu exarati, et quidem I. Codices Ebraici, Arabici, Turcici, Sinenses, etc. ac Critica et philologica MSS. II. MSS. Theologica. III. MSS. Juridica. IV. Juris publici Opera et Acta varia publica MSS. V. Historiae ecclesiasticae MSS. VI. Epistolae eruditorum Virorum, et ad historiam literariam spectantia MSS. (n)

Sextum Conclave oppletum erat I. Manuscriptis Medicis. II. Physicis, Chymicis et Alchymicis. III. Philosophicis et Ma-

 thema-

(o) Inter Manuscripta, ad rem literariam spectantia, retulit etiam b. VFFENBACHIVS aliquot volumina, complectentia Autographa illustrium et erudito-

thematicis MSS. quibus adjuncti fuere libri etiam impressi, scilicet IV. Historicorum veterum Græcorum et Latinorum Editiones præstantiores, inprimis Manutiorum, Juntarum, Stephanorum etc. V. Philosophi Græci et Latini. VI. Rhetores et Oratores Græc. et Lat. VII. Poetæ

---

ditorum Virorum, ex Albis, libris manu eorum signatis, epistolis, vel aliunde petita, et scite digesta, quorum in prima hujus Commentationis parte p. XCI. memini, addidique, duo illorum continere autographa Regum, Principum, Comitum ac illustrium virorum, circiter bis mille. Interim vero præclaræ doctrinæ Vir, Henr. Guil. CLEMMIVS, Professor nunc suo merito in illustri Cœnobio Bebenhusano, in Amœnitatum Academicarum, bona fruge plenarum, fasciculo I. p. 12. ad eum locum respiciens, nescire se scripsit, quo casu bis mille ejusmodi autographa numeraverim: Indicem enim, propria Vffenbachii manu exaratum atque a se inspectum, non nisi 1346. indigitare. Ne igitur sublesta reddatur fides mea, pace doctissimi Viri hac occasione monere liceat, illum me numerum referre acce-

Poetæ Gr. et Lat. VIII. Libri Critici et Philologici. IX. Libri miſcellanei. X. Inſigne auctarium Librorum collatorum, et manu doctorum Virorum illuſtratorum.

Septimum Conclave, hiſtoriæ eccleſiaſticæ dicatum, ſcatebat I. Hiſtoriæ eccleſiaſticæ

---

acceptum teſtimonio ipſius b. WOLFII, Viri fide digniſſimi, qui hæc volumina cum plurimis aliis cimeliis literariis ex bibliotheca Vffenbachiana emtionis jure ſibi vindicavit. vid. ejus Conſpectum Supellectilis ſuæ epiſtolicæ et literariæ manu exaratæ p. 283. Itaque vel VFFENBACHIVS poſt confectum illum Indicem Autographa Virorum illuſtrium inſigniter auxit, vel WOLFIVS in ſubducendo calculo erravit. Ad reliqua Autographorum volumina quod pertinet, in Apparatu Wolfiano commemorata, unum quidem eorum ipſemet WOLFIVS, ὁ μακαρίτης, adornavit; ſed ſi quatuor illis Vffenbachianis quintum junxeris, cujus l. c. p. 103. mentio fit, quodque Mæcenas noſter ex Bibliotheca D. Jo. Frid. MAYERI ſibi comparavit, parum decedet de numero autographorum, quem in

universalis Scriptoribus. II. Historiæ eccles. Scriptoribus Protestantibus. III. Historiæ eccl. Scriptoribus Pontificiis. IV. Actorum Sanctorum Scriptoribus. V. Conciliorum Collectoribus.

Octavum Conclave complectebatur I. Libros theologicos. II. Juris civilis et canonici Scriptores. III. Medica et philosophica opera, ac præterea IV. Patres Græcos et Latinos. V. Præclaram syllogen variarum Versionum Biblicarum. VI. singularem collectionem antiquissimarum editionum versionis sacri Codicis Germanicæ ante Lutherum. VII. Varias editiones Corporis Juris civilis et Canonici. VIII. Copiosam congeriem Jurium statutariorum, quæ appellant. IX. Scrinium

---

in his voluminibus ad quatuor propemodum millia assurgere dixi. Ex ipso enim Bibliothecæ Mayerianæ Catalogo p. 727. patet, præter autographa Regum, Principum aliorumque illustris ordinis Virorum XL. Symbolis expressa in eo volumine Theologorum aliorumque Virorum celebrium sæc. XVI. et XVII. autographa circiter CCCC. exhiberi, eidem præterea insertas esse non paucas Clar. Virorum epistolas ἰδιογράφυς.

nium ingens cancellis munitum, in quo libri prohibiti ſeu ſuſpectæ fidei, tam typis, quam manu exarati cuſtodiebantur. X. Libros myſticos, et Quackerorum, maximam partem Anglorum, Scripta. XI. Machiavelliſtarum et Pſeudopoliticorum, tandemque XII. Heterodoxarum aliarum opinionum Scripta. Superbiit præterea hoc Conclave egregio Tabulario, variis diplomatibus authenticis aliisque priſcis documentis referto, cui adjuncta erat Sigillotheca, ſive inſignis Sigillorum medii potiſſimum ævi collectio.

In duobus reliquis Conclavibus continebantur ſex grandia ſcrinia, Codicibus et ſchedis MSS. præſtantiſſimis turgentia. In primo exſtabant MSS. Genealogica, itineraria, et ad antiquitatem ſpectantia: in ſecundo MSS. hiſtorica: in tertio itidem hiſtorica, et quidem inprimis Chronica Germanica: in quarto Codices veteres hiſtorici maximam partem membranacei: in quinto Codices membranei veterum Patrum et Latinorum Auctorum, et tandem in ſexto Codices Græci veteres.

Nec deerant Bibliothecæ alia etiam ornamenta, e.g. quatuor imagines antiquæ et genuinæ, ex marmore umbilicotenus

 effi-

effictæ Caracallæ, Apollinis, Juliæ Domnæ, et alterius Imperatricis Romanæ: quatuor aliæ icones ex albo marmore Juliæ Paulæ Imperatricis, Hadriani Imp. ac Faustinarum Imperatricum majoris et junioris, opera solida anaglypha, elegantiæ eximiæ et antiquitatis venerandæ: Telesphorus ex ære: Gladiator in hortis Farnesianis, ulnæ magnitudine, conflatus ex plumbo, limatura æris campanarii obductus, quod Galli *Bronze* vocant: varii generis urnæ et vasa antiqua, gemmæ CXLI. cælatæ vetustæ, septem lampades veteres, aliaque prisci ævi monumenta: præterea duæ picturæ antiquæ Græcæ, vel Moscoviticæ, (p) Desiderii Erasmi Roterod. statua ex plumbo conflata, et limatura æris campanarii obducta, ad ejus formam effícta, quæ Roterodami in ponte erecta visitur: ejusdem effigies ab eximio artifice Holbenio depicta, aliæque pictæ virorum celebrium imagines: sex globi egregii: varia anemoscopia, hygrometra, barometra, thermometra etc. diversi eximiæ virtutis magne-

(p) Quarum b. VFFENBACHIVS in literis ad D. Lud. Christ. MIEGIVM scriptis meminit, quæ in prima hujusce Collectionis parte p. 70. sq. exstant.

magnetes, ut alia taceam. Hæc potissimum ex literis b. VFFENBACHII ad summe venerabilem D. HEVMANNVM meum, nunquam sine honoris præfatione nominandum, A. 1725. d. 29. Dec. exaratis decerpsi. Anno autem 1729. integer librorum apparatus octo conclavibus, duobus scilicet interea insigniter amplificatis, comprehendebatur, quod ex ipsius Viri immortali memoria dignissimi, præfatione, Bibliothecæ Vffenbachianæ universalis Tomo primo præmissa, in ejus vita p. CXVIII. retuli.

Reliqua, quæ ad studium Nostri bibliothecarium pertinent, quam nempe strenue ipsemet thesauro suo fuerit usus, quam prompte eum omnibus bonis ac publicæ utilitatis promovendæ cupidis communem esse voluerit, (q) quantaque hinc in orbem

bb 5

(q) Quod de Thuana Bibliotheca Josephus QVESNELLVS in præfatione Catalogi illius pronunciavit, idem de Vffenbachiana, pauculis mutatis, juste dici posse arbitror. Scilicet Bibliothecam ille suam non ad privatum duntaxat usum sibi retinendam putavit, sed, ut erat bono publico natus, omnium usui et commodis publicavit: ita ut hujus Bibliotheca vocari potuerit asylum ac perfugium

bem eruditum promanaverint commoda, alibi (r) jam commemoravi. De ipſa vero bibliotheca ejusque catalogis et fatis Vir celeberrimus ac rei literariæ peritiſſimus Jo. Frid. JVGLERVS in Bibliotheca hiſtoriæ literariæ ſelecta, opere eximio haud ita pridem concinne expoſuit (s).

---

gium literarum, et commune quoddam vinculum eruditorum. Etenim uberrimam amicorum copiam præſtabant frequentes apud VFFENBACHIVM coitiones, ad quem ex omnibus urbis ordinibus, et aliis etiam regionibus, honeſtiſſimi ac ſtudioſiſſimi confluebant.

(r) in vita b. Viri continuata p. CXIX. ſqq.

(s) Part. I. p. 110. 441. et 481. ſq.





CXXXIX.

JO. HENR. MAJO. FIL.



Bina, de quibus nuper perſcripſi, Phôtii atque Procopii volumina dilectiſſimæ Matri tuæ reddidi, quibus Boethii opera, quæ iterato mihi obvenerunt, addidi. Opportune ſane is ſeſe obtulit, ut tibi, quem deſideraſti nuper, egregiaque opera Tua ornaſti, cedat, utque felicitatis meæ, quæ nuperrime obtigit, participem te reddam. Accepi enim Boethium hunc una cum inſigni præſtantiſſimorum Operum turba a famoſiſſimo illo Jenenſium, uti vocant, Antiqua-

næ pronuper emortuus conlegit, ex parte hæredem fecerit. Juris Civilis equidem ac publici ſcriptis conſtabat potiſſimum, non contemnenda tamen humanioris diſciplinæ Volumina admixta. Vnicum nominaſſe ſufficiet Opus rariſſimum, præſtantiſſimum, mihique diu ſatis exoptatiſſimum, quod obtigiſſe lætaberis: LAMBECII nimirum de Bibliotheca Vindobonenſi Cæſarea ſplendidiſſimi ſunt Commentarii; horumque Pars ſecunda NESSELII ſucceſſoris manu emendata, auctaque. Separatim jam dicta pars, una cum proprio NESSELII auctario adjecta fuit, atque utinam et reliquæ ita ornatæ acceſſiſſent! Hoc non ideo dico, quod inexplebilis me vexet aviditas, vel injurius atque ingratus in benigniſſimam ſortem animus, ſed ex juſtiſſimo, qui me angit de reliquarum partium metuendo interitu, dolore. Auget hunc triſtiſſima eorum, quæ de mala, quam opus hoc præſtantiſſimum experta eſt, fortuna, amicus quidam Vratislavienſis retulit, recordatio. Renovabo dolorem, quod ſimile quidquam de Dietericianis metuere te ſcribis. Amico illo BRESLERO nunc in Patria Senatori, hic e Belgio tranſeunti, ac Viennam iter facienti demandaveram, ut Commentarios Lambecianos illic compararet, is vero reſcripſit, ſe nonniſi unicum

cum ejus exemplum, licet omnes tabernas librarias, omnesque, ubi venales veteres libri extant, angulos perreptaverit, reperire potuisse, nec nisi centum uncialium pretio id redimere se posse. Ne vero ingens pretium, ac summam libri raritatem mirarer, hanc ejus causam, quam verissimam esse sancte asserebat, addidit. Scilicet Divum Leopoldum Lambecio omnia Commentariorum exempla in laboris præmium donasse, illaque apud ipsum, ut omnia, quæ Bibliopolarum sumtibus non prodeunt, solent, latuisse, usque ad Celeberrimi Viri morbum mortemque, ubi ancilla, quæ rei domesticæ inservivit, ex defectu lignorum, ignem præstantissimo hoc opere accenderit, fornacemque calefecerit, atque ita ingentem exemplarium numerum Vulcano dederit Apollini Musisque sacratissimi Operis. Quæ si vera sunt, uti is quidem asseveravit, nonne dignam Maleficam illam mecum pronuncies, qnæ fumo pretiosissimi hujus ignis suffocata, vel lentis illius flammis, ut probe, quam irreparabile pene damnum Orbi literario fecerit, sensisset, enecata fuisset. Quam justus igitur, amicorum Princeps, metus tuus, ne pessime indigni manuscriptorum Dietericianorum possessoris familiares illis quoque abutantur, nisi tua, o amice dilectissime! prudentia vindicentur.

Quod

Quod autem illa in meam conferre gestis supellectilem, quid aliud est, quam novum atque insigne amoris tui in me argumentum, faciamque, ne te voluntatis hujus in me unquam pœniteat. Faveat modo fortuna secunda, ut ad finem perducere possis negotium! Vereor enim ne cariora nimis habiturus sit detentor, ac nimium magno mercanda sint pretio. Interim Indicem Manuscriptorum inprimis perlustrandi desiderio flagro. Quod etiam in publica Butisbacensium Bibliotheca notabilia iterum deprehenderis, indicium est, te nunquam otiosum esse posse, hostemque tuum ubique, uti fortissimum Heroem decet, spernere, ne scilicet nimium indulgere tibi videaris adfectui. Ita est, amice dilectissime, iis, qui labori assueti sunt, in deliciis est; otium vero, inertia atque desidia, quæ maximæ alias mortalium multitudini summum bonum, maximum malum, imo mors est. Habeo autem, amice charissime, gratias, quod lectiones Hieronymianas dare volueris, majores tibi laturus etiam, si LANGII de Excidio Constantinopolitano historiam meis sumtibus per studiosum quendam describendam, nisi forsan edendi animus sit, vel denegetur potestas, curares. Increpandus, sed comiter, adhuc mihi es, quod excursus tuos ad Butisbacenses, non

vero ad meas Musas dirigas. Amant, colunt, suspiciunt te, invidentque aliis te coram videndi felicitatem. Plures etiam delicias tibi forsan propinare se posse non sine supercilio aliquo persuadent sibi. Me quoque patronum, causæ defensorem adoptant, quam eo lubentius in me reciperem, nisi epistola jam modum excessisset. Id unicum addo, desiderium meum non paucis lineis, imo verbis nullis exprimi posse. Nondum enim te videre mihi contigit. Veneratus equidem sum Dn. MAJVM, utrumque Professores Giessenses celeberrimos, Virisque doctissimis res meas per transennam, vel in transitu demonstravi. Nesciebam vero teipsum ita meum futurum, tamque amicum tamque familiarem. Nomen solum tuum, eruditionem, dignitatem, famam tunc suspiciebam; ast nunc, postquam te intus et in cute novi, postquam animi tui candorem, morum probitatem, benevolumque in me adfectum perspexi, nunc, nunc inquam, amicorum Princeps! te excipere, in sinu fovere, de libris familiarius uberiusque colloqui gestirem: Cujus voti voluptatisque compotem me obsecro brevi fac, curaque ut cum Domino Parente, quem ex me cum reliquis amicis salutabis, valeas. Scribebam raptim, urgentibus novis, qui Catalogo meorum inscribi volunt, libris.

Nec

Nec ægre tuliſſes, credo, ſi, ut eo citius laborem hunc dulciſſimum aggrederer, vel tribus hac vice te compellaſſem. Sed vides, amice dilectiſſime, quam verboſum me faciat Amor. Iterum vale, amor meus! Die 13. Octobris. 1714.

CXL.

JO. HENR. MAJO FIL.

Novorum librorum in Bibliothecam non ſine ovatione illatio, vindemiæ, trimeſtris ærarii ſacri computus, alumnorumque noſtrorum veſtiendorum cura, ac denique novum, quod molior, opus, operariorumque turbæ, moleſtiæ, tumultus atque negotia ſufficient, ſpero, ad excuſandum longius, fateor, æquo ſilentium. Nulla equidem exculpatione opus eſſet apud te, amice humaniſſime, qui in iis, ad quas primo loco jam reſpondendum erit, teſtatus es, te non ex iis eſſe, qui moroſius atque impatientius ad temporis punctillum reſponſorias ab amicis exigunt, juſtiſſimas etiam recuſantes excuſationes. Licet vero te benigniorem humaniorem-

que noverim, volui nihilominus tamen omnes longæ cunctationis caufas adferre, ne de mea, etiamfi velles, voluntate, promtitudine, tecumque colloquendi defiderio dubitare, vel etiam me licentia tua illico deteriorem remiffioremque factum effe fufpicari poffis. Exigebat id quoque amor in me tuus, amiciffima etiam de falute mea, quam exofculor, follicitudo, curaque, et denique nofcendi aviditas. Quæ omnia grata non folum mente agnofco, fed fidem etiam tibi, amice dulciffime, facio, me non facile iterum admiffurum, ut torpeant longa pectora noftra mora, fed frequentioribus alloquiis recreentur. Aft citra ulteriores ambages ad tuarum refponfionem me accingo, initium de collectione, quam Edmundus MARTENE publice dedit, cujusque notitiam exigis, facturus. Ex ipfo titulo, quem defcribam integrum, quid contineat, leviter cognofces; fi vero penitius perfpicere aves, ipfum librum, poftquam compactus fuerit, transmittam lubentiffime. Rubrum vero ita habet: *Veterum fcriptorum et Monumentorum moralium hiftoricorum dogmaticorum, ad res ecclefiafticas, monafticas et politicas illuftrandas collectio nova. Tomus primus: quo continentur: Sancti Orientii Commonitorium. Acta varia in caufa Dolenfis Epifcopatus. Concilia varia. Statuta antiqua*

tiqua Synodalia Ecclesiæ Constantiensis. Statuta antiqua insignis monasterii S. Audoëni Rotomagensis. Antiquæ consuetudines canonicorum Regularium S. Jacobi de Monteforti. Miscellanea Epistolarum et Diplomatum. Historia Archiepiscoporum Rotomagensium. Historia Everbonis Monasterii Salmuriensis S. Florentii a Normannis et Britonibus. Vita S. Adjutoris scripta ab Hugone, archiepiscopo Rotomagensi, auctore coævo. Belli Italici sub Gregorio Papa XI. Historia metro gallico conscripta a Guilielmo de la Perene, qui præsens aderat. Prodeunt nunc primum in lucem opera et studio Domni Edmundi MARTENE. Tomi I. Pars I. et II. *Rotomagi* 1700. 4to. An plures Tomi prodierint, affirmare nequeo, vix tamen credo. Optandum vero, ut in laudibili instituto pergat auctor, popularium suorum exemplo. Omnibus etiam terrarum nationibus hanc in eruendis, atque ab interitu vindicandis veterum monumentis palmam præripiunt Galli. Quod quam egregiis, si locus, nec tibi jam cognitum esset, comprobare possem exemplis. Sola, quæ a d'ACHERIO publicæ luci data, nominabo spicilegia, quod nuper acceperim, prælo iterum subjicienda; hisque rarissimas CANISII lectiones antiquas annectendas. Postremas propria Petri SCRIVERII manu emendatas, velut thesaurum mea Bibliotheca servat. Quam lubenter

annotationes doctissimas hujus viri novæ huic editioni illustrandæ darem, modo tute commodeque fieri posset. Sed dubia Gallorum fides integritasque, locorum etiam distantia me retinet. Sed pergo. Gratiarum vero actiones tuas silentio, quod in posterum semper facturus sum, prætereo; nec tuam de Boethio, sit venia Jurisconsultorum verbo, protestationem, utpote voluntati meæ in te contrariam, nec quidquam moror. Ne vero credas, me datam tibi fidem fregisse, scias velim, me istius opera non nummis, sed permutationis jure comparasse. LANGIVM de Excidio Constantinopolitano ut ipse describas, minime velim. Absit enim, ut doctis tuis oculis ac manibus tantum tædium injiciam. Commodius per amanuensem meum et tibi et mihi copia illius fieri posset, si Bibliothecarius tibi, tu, quod nullus dubito, mihi concredere velletis. Curæ enim mihi semper est, ut talis mihi adsit Notarius, ut Hieronymi verbo utar, qui et legere et scribere difficillima possit. Majori vero molestia tales mihi creo, quam Comites, uti salutantur, Palatini. Plus sane tædii laborisque insumendum mihi, quam Ludimagistro, pueros literarum elementa inculcanti. Nunc illas, quæ adventum tuum in hanc urbem nostram impediunt, rationes,

nes, quam graves etiam tibi videantur, facillime ſolvam, et ita quidem, ut nullus quidem, ſi me amas, ſcrupulus ſupereſſe, nec offenſio cujusquam obſtare poſſit. Hoc vero fiet, ſi mea, amplecti Te jam mihi videor! ſi mea inquam, Hoſpes deſideratiſſime, tecta ſubeas. Amiciſſimum Te mihi ſciunt omnes, Muſis vero meis gratiſſimum, itaque et mihi et illis acceptiſſimum. Quid igitur obſtaret, quo minus tua nos jucundiſſima bees præſentia? Nulla metuenda tibi tetro vultu ac obliquis te exceptura oculis Xantippe, quæ te deterrere poſſit. Particeps illa ſemper eſt voluptatum, quibus abſens literarum colloquio me perfundis, majores ſane, quas præſentia tua afferret, diſpeream, ni verum loquar, non invidebit, ſed augere pro viribus ſtudebit. Cave igitur, amice optume, ne difficilem te præbeas, ſed quamprimum poteris, obſecundes, niſi iram odiumque meum implacabile experiri velis. d. 6. Nov. 1714.



CXLI.

JO. HENR. MAJUS FIL.

Quum Libero Patri, Minervæ, Aeolo, forsan et Lucinæ, domum aptaveris tuam, mirum amplius non est, te mei, tanquam homunculi, memoriam tantisper seposuisse; immo ægre tulissem, si rebus tuis, amicorum Alpha, nondum rite dispositis, de me, extraneo, et a limine tuo remoto, cogitare voluisses. Jam mihi redditus hilare vivo, posteaquam te valere ex te ipso intellexi, quem cum adversa pugnare valetudine metuebam. Quare frustraneam fuisse sollicitudinem meam gaudeo, tibique et de incolumitate, et triumpho librorum, et Bacchi copia, gratulor. Edmundi MARTENE collectio parum rebus meis proderit, antiquitati potissimum ecclesiasticæ destinata, a foro meo alienæ. Itaque non est, cur inspiciendam abs te petere vellem, inprimis quum indicio rerum, quas continet, abunde satisfeceris desiderio meo, id quod gratus adgnosco. LANGIVM de excidio Constantinopolitano in tui gratiam e bibliotheca Butisbacensi evocabo, libens amanuensi tuo cessurus provinciam, quam ei demandabis, et quam illo

illo nolente, ingressurus promte fuissem. Posset ille Langius supplementi olim loco accedere ad codicem illum Byzantinum tuum, VFFENBACHI dilectissime. Invitas me ad urbem vestram, ad domum tuam, tuosque complexus; quos uti nunquam recusabo, ita tam incivilis et parum religiosus haud sum, ut quas Dii Deæque incolunt ædes, profanus ego aliquot dierum hospes polluere sustinerem. Erit, erit adhuc latebra quædam, ubi degere possim, inprimis quum mecum portem omnia. Si tamen rediturus ad vos sum, (quod quando futurum sit, nemini constat præterquam Deo) scias, comiter me Dearum tuarum, Musas puta, majestatem veneraturum, illarumque lateribus indivulsum adhæsurum comitem. Nil dicam amplius, nisi hoc: Non sum dignus, qui tecta tua subeam. Nec ego responsum dabo ad ea, quibus mihi gratias agis pro qualicunque officio, codicibus tuis impenso, quo et libens et cum fructu defungor. Manuscriptorum Græcorum indicem tanto desiderio exspecto, vix ut reprimere istud queam. Felicius progredior in scriptis Judaicis libris, quam aut existimaveram per temporis rationem fieri posse, aut nuper tibi, amice desideratissime, nunciaveram. Absolvi enim majoris ordinis, quos in folio vocant,

omnes, nonnullosque secundi; in his tamen posterioribus multa offendo, quæ publicæ utilitatis causa erunt mihi describenda; id nisi foret, hoc adhuc anno redirent ad te. Dabis tamen, spero, hoc amori erga me tuo, concedesque eorum usum, quoad voluero; volo autem tamdiu, quamdiu aliquid bonæ frugis in iis deprehendero. Habes heic indicem sermonum, scriptorumque, in codice manuscripto Græco minore comprehensorum; amanuensis, si qui adhuc erunt, maxime in accentuum recta collocatione errores, et tu, o decus nostrum, et quisquis conspexerit, facile condonabunt. Est illud volumen Græcanicum pessime a rudi monacho scriptum; vocabula misere divulsa aut perperam conjuncta, spiritus accentusque vel plane nonnunquam neglecti, vel imperite adpicti, literæ unius organi perpetuo confusæ, sic ut sensum ubivis adsequi non adeo pronum semper fuerit. Parum itaque conducet collationi iste liber, aut emendationi Patrum, qui ipse emendatione cum maxime indiget. Aliquot plagulas ex Athanasii quæstionibus ac responsionibus ad Antiochum composui cum editis; pœnitere tamen me cœpit mox laboris hujus, eo quod lectiones stupidi monachi indoctam manum ubivis sapiant. Aliqua nihilominus inve-

inveni, non plane πονηρȣ̃ κόμματος, inferenda, ut arbitror, quarto observationum mearum libro, in quo simul epigrammata aliquot manuscripta e tuorum censu comparebunt. Necesse est, mendicum agam heic denuo, quem toties, nec sine tuo tædio, egi. Neque tamen aliter fieri jubet cum tua erga me propensa voluntas, tum meum ex tuis libris proficiendi studium. Peto itaque per Notarium tuum ex Meursii, du Fresnii, aliorumque, quæ tibi sunt, medii ævi Glossariis, describendum cures, quid habeant de vocabulo *ballematica*, βαλλημάτικά. Solo enim Clarissimo SALMASIO ad Vopisci Aurelianum præceptore adhuc usus sum, quoad hanc vocem, de qua quid ceteri sentiant, discere cupio. SALMASII dum mentionem feci, opportune recordor, ejus ad MENAGIUM epistolam super Herode infanticida utrique nostrum esse, annexam quippe ceteris ejusdem epistolis ab Ant. CLEMENTIO vulgatis. Michaelis MEISNERI liber de Stigmatis veterum estne in tua, mi UFFENBACHI, illustri bibliotheca, aut tibi notus? Non tetigit eum Clarissimus FABRICIUS noster in bibliographia antiquaria; et tamen nominatum laudatumque offendi a BARTHIO ad Claudianum. Nisi forsan Meisnerus iste in Syntagmate suo super ad-

notamenta Philologorum, cujus mentio in variis lectionibus Reinesianis Lib. I. cap. 7. et qui non absimilia ex eo recenset, de Stigmatum materia tractaverit; neuter enim liber unquam mihi visus. Quamobrem tuum obtestor ingenium, tuam eruditionem, et bene de me merendi alacritatem, nullo non tempore commonstratam, velis inscitiam meam erudire, nec doctrinæ tuæ copias nobis invidere. Prid. Id. Novembr. cIↄIↄccxIIII.

CXLII.

JO. HENR. MAJO FIL.

Gratias pro confecto contentorum in Codice Græco indice persolvo, qui quo prolixior est, eo majores Tibi debentur. Aegre me habet, quod tam malæ notæ sit liber, ingenuum tamen judicium tuum exosculor, lætorque, non plane inutilem fuisse tibi, sed quædam quarto aurearum tuarum observationum libro inserenda præbuisse. Quid enim jucundius mihi, quam egregia tua adjuvare studia? Nullum

lum igitur tibi dubium ſit, me ſumma alacritate nec ſine voluptate omnes Lexicographos meos excuſſiſſe, ut ea, quæ hic vides excerpta juſſu tuo per amanuenſem fierent. Quæ an ſatisfaciant tibi, Amice dilectiſſime, certiorem facies, liberrimeque alia evolvenda, quandocunque volueris, dabis. Vtrumque MEISNERI Opus, de quo ſciſcitare, nec mihi unquam viſum, nec etiam, ingenue fateor inſcitiam meam, mihi cognitum. Nec mirum, FABRICIVM quoque fugiſſe. Tam late enim patet bonorum, ne dicam, omnium librorum notitia, ut non minus difficile vel impoſſibile mihi videatur ſtellas enumerare, vel Oceanum exhaurire, quam illam pro infinita amplitudine, dignitateque ſua animo complecti. Non leve ſane ſtudium operamve a teneris etiam unguiculis in librorum cognitionem impendi, nullis ſumtibus, nulliſve laboribus peperci. Aſt tyronem me etiamnum profiteri, ignorantiamque meam fateri cogor haud invitus. Vtinam vero vel decima eorum librorum pars Bibliothecæ meæ accedere poſſet, quos ſtans pede in uno non modo deſignare, ſed, quod absque ſupercilio dictum velim, non ſine aliquo judicio denotare poſſem. Illud enim Bibliopolarum eſt, ac eorum, qui librorum cumulos absque delectu coacervant. Hic memoriam

moriam ſubit lepida L. Baronis de Nimtſch narratio. Is in Anglia, ubi VII. integris annis morabatur, aliquoties ſe vidiſſe aſſeverabat, in Bibliopolarum tabernis, quæ omnes nitidiſſime compactis libris refertæ ſunt, quosdam ſeriem librorum ad menſuram e marſupio extractam absque omni inſpectione coëmiſſe, ſcilicet ut tantum in loculamentis ſuis vacuum replere poſſent. Sed ad ſeria redeo. Græcorum Codicum, præter eos, quos jam manibus tractaſti, oculisque uſurpaſti, et Conſtantini volumine excepto, nonniſi quatuor ſequentes ſunt. Ditiorem me equidem credidiſſem ipſus. Sunt autem reliqui, Volumen chartaceum, in quo: Gregorii Nyſſeni Catecheticus major. Ejusdem Diſputatio de Anima et Reſurrectione, habita cum Sorore Macrina. Syneſius de Dono ad Pœonium, quod erat Aſtrolabium. Conſtitutio. Concio altera. Conſtitutio altera. Omnia ejusdem Syneſii. II. Vol. complectitur IV. Phyſiognomicos ſcriptores: Polemonem, Adamantinum, Melampodem, et de Maculis Schediaſma Hermanni Venii apographum; adjectis quibusdam in margine notis vel correctionibus. III. Codex duos Muſicos ſcriptores ſiſtit, Nicomachum et Ariſtoxenem in charta Nilotica elegantiſſime deſcriptos. Quartum denique Volumen Muſi-

Muficum quoque eft, fed medii ævi, exhibens varia cantica, additis notis mufícis, illis temporibus ufitatis. Similem Codicem me vidiffe memini Helmæftadii in Bibliotheca Academica, quo de Jo. Andreas SCHMIDIVS prolixe egit in Differtatione de Cantoribus veteris Ecclefiæ. Ex te nunc audiam, amice mellitiffime, quo ordine velis, ut Tibi mittantur hi Codices. d. 24. Nov. 1714.

CXLIII.

JO. HENR. MAJUS FIL.

Longe tibi maximas ago habeoque gratias, quod de voce βαλλίζειν tam plene me edocere volueris, ut amplius nil defiderare queam, pofteaquam illuftris tua bibliotheca fitim meam reftinxit. Neque hoc tantum nomine tibi, amice jucundiffime, obftrictum me fateor; eft et aliud, quo me mactafti beneficium, indicando manufcriptos tuos Codices Græcos, e quibus quatuor illos Phyfiognomicos præ ceteris infpicere vellem. Nondum tamen eos defidero, neque transmitti ad me prius

prius velim, quam Ebraicos tibi remiſero, ne mole nimia opprimar. Nunc abs te peto, ut denuo me erudias, atque in Ariſtide, ſi tibi ille eſt ad manus, evolvere in mei gratiam (quod ſine tua moleſtia fieri volo,) non recuſes, locum, quem inde profert CVPERVS de Apotheoſi Homeri p. 12. eundemque mihi deſcribi per amanuenſem cures. Eſt autem, ni fallor, Ariſtides Muſicus a MEIBOMIO editus: Rhetoris enim Ariſtidis nonniſi pauca quædam habemus. Hieronymus tuus, Vir mihi animo ſtudiisque conjunctiſſime, manuſcriptus, exhibetne omnes ſancti Patris epiſtolas? num etiam Græca Ebræaque paſſim in eisdem obvia, ſuis quæque characteribus exprimuntur, aut Latinis tantum literis? Quod poſterius non raro in Manuſcriptis deprehenditur, etiamque in libris naſcente typographia exſcriptis. Inſpicere tantum poteris prolixam illam S. Patris ad Fabiolam epiſtolam, ſtatimque modus ſcripturæ in oculos occurret. Si, quod opto, Græca Græce, Ebraica Ebraice effert picta, magnum utique nomen mereretur Codex ille nunquam ſatis laudandus, in multisque etiam nos adjuvare poſſet. Memini, te aliquando nunciaſſe mihi, librum Kabbaliſticum *Raſiel* tibi obtigiſſe, quem, ſi denuo libros alios manuſcriptos in eorum vicem, quos adhuc

adhuc teneo, ſubſtitueris, mihi ad ſtatum legendi expeto. Quod ideo nunc indicandum duxi, ne memoria iterum excidat, ut aliquoties factum eſt. De linguæ Siculæ ſpecimine, nuper a te miſſo, et a me deſcripto, neſcio quid ſentiam. Characteres Siculos ita fuiſſe delineatos, quomodo Telegedus vult, nondum mihi perſuadere poſſum, atque de ipſa etiam lingua Siculorum in alia omnino ſum opinione, quæ non multum recedit a ſententia Theodori RYCKII in de primis Italiæ colonis, qui ſubjectus viſitur HOLSTENIO in Stephanum de urbibus. Videsne, quam diligenter evolverim libros abs te mihi donatos? Aliquot abhinc diebus in manus ſumſi Clariſſimi Schudtii Opus de Judæis hiſtoricum, quod tuum illuſtre nomen terna vice compellat, nempe in præfatione tum Lib. V. p. 512. denique lib. VI. p. 243. atque hoc in poſteriore loco Manuſcriptum Kalendarium Judaicum ad te, o amice, pertinens, ſed quod nunc hoſpitem apud me agit, percenſet. Ego vero et mei et viri optimi cauſa vellem, aut nunquam inſpexiſſet hunc tuum codicem, aut rectius. Non enim ſuis oculis uſus eſt, (quod in aurem tibi nunc dico) atque a verbis ibidem poſitis ſæpius aberravit, quod factum plane nollem. Video enim impoſitam

ſitam mihi neceſſitatem confutandi bonum virum, ubi ad tuos libros perventum erit; quod quam ægre faciam, ſentio. Sunt plures in eodem, alioquin ſua laude non carente ſcripto, errores, quos a me non tangendos eſſe, vehementer gaudeo; aperiant alii. Bonam partem antiquorum librorum nuper demum comparavi, plane id non ſperans, quum rara hujus rei apud nos exiſtat meſſis. Fuerunt inter eos duo, quos valde amo, Corpus nimirum Poetarum veterum omnium Latinorum Chriſtianorum, a Georgio FABRICIO editum, nec non corpus Poetarum omnium profanorum, cura A. P. B. P. G. (quem prorſus ignoro) vulgatum, hoc Aureliæ Allobr. 1611. illud Baſileæ 1564. utrumque in 4to. Deprehendi quoque Helfrici VIrici HVNNII tractatum de auctoritate et interpretatione Juris, una cum ejusdem diſputationibus et inſtitutionibus Juris feudalis in eo acervo; quem ego librum in tuos uſus e veſtigio ſelegi, quia eidem adjectum eſt ſcriptum apologeticum dicti modo Hunnii, de exemptione Clericorum et Juris Canonici auctoritate, nondum editum, ſed manu Georgii Tulsneri, noſtræ quondam Academiæ Anteceſſoris, ex autographo autoris deſcriptum, quod leve munus, ut benigne pro tua humanitate excipias, majorem in modum contendo,

do. Majora vellem, sed nosti paupertatem meam. Raymundi LVLLII opera possidesne, et ex qua editione? Gottfridum LANGIVM de excidio Constantinopoleos heri ex bibliotheca Butisbacensi accepi, quem die Lunæ una cum indicato Hunniano opere ad te ire jubebo. Nullæ additæ erant Langio literæ, ut ideo de DIETERICI libris nil habeam, quod nunciem. Denique peto, nolis in deteriorem interpretari partem, quod tuas subire ædes ultimis literis recusaverim. Si enim aut rationes meæ non tibi graves videntur, aut me sine ratione ad vos accedere desideras, faciam quod jubes. Do itaque fidem, te me visurum proximis nundinis, atque tamdiu apud te commoraturum, donec me expellas. Pridie Kal. Decembris. 1714.

CXLIV.

JO. HENR. MAJO FIL.

Charitum filius, aut certe Gratiarum plenissimus mihi videris, vel ut Plautino utar: Linguam habens referendæ gra-

tiæ natam, quibus vel nulla vel levior plumâ deberetur gratia, amplissimas agis. Neque enim nuperrima tuo jussu facta vocis investigatio aliquas exigebat. Hanc enim detrectare æque ab humanitate alienum putarem, quam Juris Naturæ, ut salutantur, interpretes lumen de lumine denegare censent. Vt nil addam de ardentissimo meo studia tua quovis modo juvandi ardore. Latere tamen te nolim, quam ægre feram, quod locum diligentiæ meæ denuo commissum, licet omnem adhibuerim, reperire nequiverim. Evolvi CVPERVM, perquisivi MEIBOMII scriptores Musicos, deprehendi equidem inter hos primo scilicet loco Tomi secundi Aristidem, sed ejus libri tres plures 164. paginas non conficiunt. Putabam igitur Aristidem Rhetorem a CVPERO forsan innui, recurri igitur ad Rhetorum veterum corpus, Declamationumque volumen, utrumque a Stephano collectum, sed in his ne Aristidem quidem, multo minus locum a te desideratum invenire potui. Parum igitur abfuit, quin CVPERO succensuerim, nisi insignis Illustris Viri, cum Daventriæ ante aliquot abhinc annos aliquoties ipsum inviserem, benevolentia cohibuisset. Non potui tamen non, quin supinam Scriptorum oscitantiam detestatus fuerim, qui in citandis auto-

ribus

ribus editiones, quibus usi fuerunt, adjicere negligunt. Sunt mihi Aristidis Orationes a Laurentio NORMANNO Upsaliæ 1687. in 8vo in lucem missæ, sed eo usque non progreditur paginarum numerus, quem CVPERVS habet, nec indice instructa est Editio. Quid igitur restat, quam ut tibi, amice dilectissime, una cum Physiognomicis autoribus, libroque Rafiel Musicos Meibomii quamprimum, atque Aristidis Rhetoris Orationes, a Laurentio Normanno editas, transmittam, quibus Nicomachum atque Aristoxenem adjiciam, ut, si volupe fuerit, cum Editione Meibomii conjicere possis. Aristidem Rhetorem a Guilielmo CANTERO Latine versum, quatuorque Tomis Basileæ in folio editum non desiderare te arbitror. Interim ne plane tibi defuisse videar, en tibi excerpta quædam de voce ἀπάρχομαι, quæ tibi non injucunda fore ratus sum. Quæ si lucem aliquam tibi afferent, erit, quod gaudeam. Codex meus Hieronymi, optimæ alias notæ, voces hebraicas, græcasque non propriis, quod deplorandum, characteribus, sed latinis saltem literis refert. Summa Librariorum elapsis seculis ignorantia obstat, quo minus omnibus numeris absolutos habeamus Codices. Nunc in Augustini de Civitate Dei Codice meo perlustrando,

do, conferendoque auspicium, quod utinam felix faustumque sit! feci. Non inutilem certe hanc meam operam futuram ex iis, quas jamdum notavi, lectionibus lætus auguror. Nunc ad Conrectoris nostri opus venio, quod majori ἀκριβείᾳ, delectuque boni viri causa scriptum tecum vellem. Non tam Eruditis placere, qnam Bibliopolæ lucrum promovere, vulgique auram captare sategisse videtur. Majorem alias in multis diligentiam adhibere, superflua multa omittere, inficetasque sæpe facetias, quibus scatet liber, negligere debuisset. Consultius mea etiam sententia, quod cordate sæpe eum monui, fuisset, Latino sermone scribere, quæ atrox nimium, Christianisque haud dignum in Judæos odium, an dicam furorem exacerbare poterunt. Tu vero, amice dulcissime, nulla ages injuria, si Kalendarium meum Manuscriptum ab erroribus vindicabis, eo magis, si, quod certo te facturum existimo, sine acerbitate fiat. De bonorum librorum consecutione tibi, amice charissime, gratulor, simulque tibi habeo gratias, quod me participem velis, Hunniumque mihi dices, quem, cum e re tua non sit, eo lubentius suscipio. Doleo autem, quod iis, de quibus nuper spem feci, vicissim gratificari nondum possim, vel forsan etiam nunquam

quam potero. Quid enim de Camerarianis libris fiat, nescio, nullas enim literas accipio. Ignoro igitur, quid causæ sit, cur nil de libris neque videam neque audiam. Forsan periere literæ una cum indice meo; vel mutatum libros vendendi consilium? Nam vix fieri potest, ut nullus liber statuto pretio sit venditus, mihique cesserit. Curabo autem, ut ejus rei certiores reddamur. Interim nunciatum mihi est Amstelodamo per Wetstenios meos, tres ingentes librorum sarcinas ad me transvehi, in quibus omnia pene manuscripta Salomonis van TILL cum aliis ex ejusdem Bibliotheca libris, tandem etiam plaustrum hæreticorum h. e. librorum suspectorum, vulgoque prohibitorum, quos ex Bibliotheca a Quackero quodam Roterodami collecta coemi feci. De quibus fusius proxime perscribam. Raymundi LVLLII opera possideo quidem, sed nonnisi vulgarem, obviamque editionem, Argentorati 1651. in 8. apud Zetzneri hæredes editam. Tu, si antiquiorem melioremque nosti, meoque ære redimere velis, insigne præstares officium. Langium de Excidio Constantinopoleos avide expecto. Tui vero ipsius, ô gaudium meum! videndi, amplexandi, fruendi desiderio adeo flagro, ut hyemales frigores vix senserim,

 nisi

nisi tædio, quod nundinas, tuumque lætissimum adventum morentur, procrastinentve. Sed expectandum est tempus. d. 8. Dec. 1714.

CXLV.

JO. HENR. MAJVS FIL.

Te vero, o lepidissimum caput, ab ipsis Gratiis enutritum, comtum, exornatumque esse nemo negabit, nisi, qui aut quid Charites sint, ignorat, aut Timonem agit μισάνθρωπον. Adeo delectat tua conversatio, sermones, literæ, et quid non? Ego agrestis, et pusillum culti ruris numen, longe remotus ab ea sum urbanitate, qua tu me illustrem reddere pro humanitate tua conaris, et quam in temetipso conspicis. Visne amœnitatum tuarum contexam catalogum, testesque advocem magno numero, auritos, oculatos, aut si qui his dantur certiores? Faciam, quamprimum illæsa verecundia tua fieri posse intellexero. Interea hoc testimonium, quod non amor erga te meus, sed ipsa veritas, extorsit, ab eo putabis profectum, quem nullum adulandi studium in transversum rapit. Vellem, suavissime

vissime amice, vel semel colloquiis de te nostris interesse possis, atque tuis audire auribus, quae in tui memoriam honoremque pro eo, ac par est, a me proferuntur. Nunquam magis disertus sum, quam ea occasione. At de his nunc altum esto silentium! Aristidis locum tantum tibi creavisse laboris, molestiae, quin et indignationis, indignabundus intellexi; immo si praevidere taedium istud, quod mei causa devorandum tibi fuit, potuissem, nunquam hoc tibi negotium imposuissem. Faciet tamen ea res me cautiorem. Aristiden tamen illum, una cum Rasiele et Physiognomicis ceterisque libris nondum desidero; absolvendi quippe prius erunt, quos adhuc possideo e tua bibliotheca orientali manuscriptos Codices, priusquam aliis industriam meam addicam. Non licet in evolutione horum voluminum ita procedere, uti vellem. Quum enim elaboranda mihi nova observationum pars, aliaque impedimenta removenda, vacare nequeo operae, qua libens defungor. Id vero tibi sanctissime, data dextra, promitto, me, absoluta hieme, nil aliud suscepturum, neque typis etiam mandaturum, quam recensionem librorum tuor um Manuscriptorum, neque cessaturum prius ab eo instituto, quam coronidem imposuero. Est enim longe difficilius, post tot alios et

dissimilis materiæ labores, post tam sæpe interruptum studium et distractiones varias, ad Codices manuscriptos redire, quam continua eosdem tractare manu. Sed et alia me movet causa, ob quam indicem illum luci, quam primum fieri posset, donandum existimem. Etenim quum tam multa debeam bibliothecæ tuæ, hoc unicum in votis habeo, ut declarare valeam, me non ingratum fuisse. Debebit itaque mihi hæc orientalis pars adparatus librorum tui, quod orbi erudito fecerim notam, cui tu eam asservasti atque vindicasti. Nec minor mea erit gloria, quam tua; neque etiam minus gaudium. Habeo tibi gratiam, amor meus, pro locis ex Rob. CONSTANTINI Lexico mecum communicatis, qui etsi eum significatum vocis ἀπαρχὴ, quem CVPERVS innuit, non tangant, tamen non potuerunt non gratissimi esse variis nominibus. Quum te adeo promtum invenerim in me juvando, non dubito abs te iterum petere, velis per amanuensem tuum in mei favorem exscribendum curare ex Ioannis Damasceni libro quarto fidei orthodoxæ caput XV. una cum interpretatione Latina; vel si totum caput nimis fuerit prolixum, ea saltem, quæ de Genealogia B. Mariæ virginis ibidem leguntur; aut si et hæc longiuscula, saltem in-

indices rogo, plurane habeat Damascenus in citato loco de prosapia sanctæ Mariæ; quam ex eo Patre jam adduxit WAGENSEILIVS in Telis igneis Satanæ, nominatimque in confutatione libri *Toldos Ieschu* pag. 28. Si non plura apud eum leguntur, plane non opus, ut oleum operamque perdat Notarius tuus. Vltra enim locum, ad Deiparæ majores pertinentem, scire nil desidero. Feliciter cedat labor, quem nunc S. Augustino impendis. Incognitum mihi erat, esse penes te Civitatem Dei in Manuscripto; atque nunc, cujus ea notæ sit ac ætatis, insuper cognoscere gestio. Comiter SCHVDTIVM tractabo, ita ut amicum decet; inprimis quum ab eo provocatus haud sim. Neque nomen ejus compellarem, nisi necessitas suaderet. Camerarianos libros te nondum consecutum doleo; at mei causa gaudeo; nec alia subest adversæ fortunæ tuæ ratio, quam quod aliquos simul mihi comparare decreveris. Quare nisi majus posthac detrimentum exspectare velis, abstine, quæso, et cohibe liberales nimium manus. Ex Salomonis van TILL libris manuscriptis complures et fere omnes tibi contigisse, dici non potest, quanto me adficiat gaudio; ita enim et ingenii quoque mei accessionem spero non contemnendam, catalogi pro-

fecto tui augmentum erit perquam egregium. Sunt mihi Raymundi LVLLII opera ex antiquiore editione, ut titulus ſpondet, nempe de anno 1617. Argentorati tamen impreſſa, et apud eosdem Zetzneri heredes. Paginæ poſterioris cum hac priore conſentiunt editione, ſic ut illa, de anno 1651. ex hac ſit expreſſa, immo eadem, recentiore tantum præfixo titulo, alium annum mentiente. Si hæc tibi arriſerit editio, tua erit, prout in tui uſum acquiſivi. XIX. ante Kalend. Jan. 1714.

CXLVI.

JO. HENR. MAJO FIL.

Damaſceni locum quod attinet, iterum nec tibi nec mihi ſatisfacit libraria penuria mea. Nam illico Patrum Editiones, quas mea Bibliotheca habet, perquiſivi, inveni etiam Damaſceni opera, ſed latine ſolum a Joanne Oecolampadio edita. Librorum vero quatuor de fide Orthodoxa Jacobi Fabri Stapulenſis verſionem una cum WAGENSEILIO ſecutus eſt OECOLAMPADIVS in hac ſua editione. Initium

tium capitis describi feci, quod ad locum a Wagenseilio adductum quicquam facecere posse videbatur. Reliqua vero non Genealogiam, sed ipsum generationis Mariæ, ac ipsius Jesu Christi, partusque modum tangunt rationemque. Codex meus manuscriptus Augustini ejusdem ætatis ac notæ est ac Hieronymi; uterque vero seculo duodecimo, vel decimo tertio exaratus. Scribebam in novo a me exstructo Museo, quod utinam incolumem diu inhabitare sinat Numen benignissimum, cujus protectioni (sit venia verbo Pliniano) te quoque, amice charissime, commendo.

CXLVII.

JO. HENR. MAJUSI FIL.

Strenam a me expectas, ecquam? Chrestomathiam accipis, sed per me potius, quam a me, utinam acciperes integram, enim vero mutilam adhuc vides, spes tamen est potiundi tota et completa; de novo enim Dieterici privignus, qui plurimam tibi impertit salutem, eam in conquiren-

quirendo defectu pollicitus est operam, quam Judæi Paschatos tempore in excutiendo fermento navare assolent, quæso vero, hoc ne omineris ex mutilato opusculo, quod novus tibi annus per me exhibet, officia mea vel animum in te meum imposterum fore mutilum, integrum semper et ubique experieris amicum, imo Nominis tui cultorem omni sine fuco. Catalogum manuscriptorum Dietericianorum Klotzius noster nullum habet; Bibliothecam venalem se quidem habere dicit, quo autem pretio, id nondum expiscari licuit, nosti horum mercatorum indolem, qui non egent, sed omnibus bonis abundant, patientia opus est, tempus explicatiora dabit. Græciam DIETERICI exulantem jam sine dubio in Goezianis quoque possides, minus benigne in hac oratione inaugurali de Bibliotheca nostra sentit. Dum paucis abhinc diebus manuscripta quædam Dietericiana lustrarem, oculum subiit fugitivum historia quædam manu exarata de Jacobo Andreæ, qui Judæum inter canes e cruce suspensum convertit, sed et hæc tibi jam nota erit. De SCHVDTII opere nuper edito quid tu, Vir Nobilissime, sentias, scire aveo, mihi novacula caruisse videtur Vir hic Hebræus, quam si applicuisset, in tanta spissitudine liber haud prodiisset.

CXLVIII.

CXLVIII.

JO. HENR. MAJUS FIL.

Quid de libris Dietericianis ſperandum ſit, adjecta docebit epiſtola. Manuſcriptorum Catalogus, a ſenio confecto poſſeſſore adornatus nullus eſt, nec adornabitur. Ipſa Manuſcripta diſperſa, ut olim dixi, jacent, innumeris ſchedis, quibusdam fabæ magnitudinem non excedentibus. Luſtravi nonnulla eorum, et unum inprimis de Hæreſibus, hæreticisque tractans, multa omnino continens egregia, ſed quæ nec in ordinem cogi a quoquam poſſunt, niſi a DIETERICO ipſo, nec proinde publicæ luci donari. XIX. ante Kal. Febr.



CXLIX.

JO. HENR. MAJVS FIL.

Germanum tuum ex Galliis, ut arbitror, felicem rediisse, impense lætor, idemque opto, ut eodem mentis corporisque flore, absoluto Italico itinere, tibi mihique reddatur, nullis Italiæ sive pictis sive loquentibus deliciis captus. Velim me ipsi commendes, ac prosperos meo nomine Viales adpreceris. VIII. Kal. Febr. 1715.

CL.

JO. HENR. MAJO FIL.

Germanus meus nondum, ut tu existimas, Gallias invisit, sed postquam Musis Argentoratensibus valedixit, per Helvetiam Genevam tendit, ibique aliquandiu moratus, per ardua Alpina juga non sine maximis molestiis, hyberno hoc inprimis

primis tempore, Taurinum perrexit, et ſic Venetias, ad videnda, quod plerisque Italiam peragrantibus palmarium eſt, Bacchanalia, quæ ibi more non dicam parum chriſtiano, ſed ne ratione præditis decoro, hoc tempore vivere aſſolent. Licet enim metus belli Turcici inſaniam paulo cohibuerit, elapſo tamen hoc menſe, quo Numen divinum jejuniis precibusque ea de cauſa indictis, placaſſe ſibi perſuadent, antiquum obtinebit. Morabitur Frater meus in Italia usque ad autumnum. Tunc demum Galliæ oras intrabit; abſit enim, ut, quod plerique ſolent, velut canis Nilum lambens terras percurrat. Majori cum emolumento tum proprio, tum etiam meo peregrinandum ipſi. Mihi ſane, ſi me amat, plurima ſecum afferet ex Italia, Gallia, Belgioque regio ſpolia, literaria ſcilicet. Suam etiam, qua delectatur, in mathematicis artificialibusque voluptatem ſatiabit. Vereor igitur, ne unum pii voti tui, pro quo gratias tibi ſolvo, amice dilectiſſime, punctum transgrediatur, ſeque pictis Italiæ deliciis capi patiatur. Depereat illas, admiretur veneranda Romanæ magnitudinis rudera, exoſculetur ſacros ſagatorum togatorumque vultus, obſtupeſcat ad pictorum, reliquorumque artificum, quibus aliquot abhinc ſeculis floruit Italia, monumenta inſi-

insignia, quibus superbit. Modo loquentes, quas tu vocas, delicias caveat, quod, ut confido, faciet, multorum exterorum vestigiis territus, alias etiam coturniculæ animum habens, moderatumque. d. 2. Febr. 1715.

CLI.

JO. HENR. MAJVS FIL.

Stili Laconismum prior ille collegarum prolixo ad me misso catalogo, eo plane ipso, qui Museo Museorum est insertus, compensavit, ad cuius marginem subductis indicavit lineis, quæ emtores jam suos invenerint. Dolebis, sat scio, amicorum princeps, erepta tibi esse manuscripta, quæ cumprimis cupiebas, et quæ tibi debebantur præcipue tuæque bibliothecæ. Eum velim Catalogum, inutilem tibi futurum, remittas, D. nostro VALENTINI reddendum. Addebat collega conjunctissimus, possessorem mille florenis æstimasse tam libros, quam cetera simul omnia; sibi vero copiam hujus designa-

ſignationis factam per chiliarcham quendam Alsfeldenſem, ſed qui in noſtris terris amplius non degit. Indicavi eidem collegæ, ſed nuper demum, te flagrare deſiderio conſequendi nonnulla ex dicto catalogo, idque eo die ſignificavi, qui reſponſionem tuam ad meas ultimas literas antecedebat. Itaque ignoſces, ſi quid contra voluntatem tuam, ſed mihi incognitam, commiſi, tibi inviſam garrulitatem majori poſthac taciturnitate compenſaturus. Neque tamen multum intereſſe exiſtimem, ſive id reſciverit D. VALENTINI, ſive ignoraverit, cum quod eo proxeneta uſuri non ſimus, tum quod ſilentii fidem me facile ab eo impetraturum confidam. Mihi ex illa Haſſiæ inferioris parte notus nemo eſt vir bonus, immo ne malus quidem; lubens alioqui ſignificaturus tibi, per quem in cimeliorum adhuc reſiduorum pretium inquirere poſſis. FERRETII Muſas lapidares tibi, amice dulciſſime, ſcio eſſe; in his lib. 2. memor. XLIII. p. 144. comparere dicitur inſcriptio, cujus initium: HERIE THISBE. Jam vero erudias me velim, quomodo nomen SEBASTO-NICÆ ibi expreſſum ſit, num eo modo, ut nunc pinxi, an alio. Pendet enim totius fere epigrammatis ſenſus ex unica illa vo-

ce, quam bene exposuit in opusculis suis Gutberlethus. VI. Id. Febr. 1715.

CXLII.

JO. HENR. MAJO FIL.

Redit ad te Catalogus, ex quo non sine ægritudine perspexi, ea, quæ maxime desiderabam, prærepta fuisse; attamen gratissimum et mihi et fratri meo accideret, si HEVELII Tubum Opticum, Microscopia et Salomonæi Templi typum nancisci adhuc possimus. Scripsi igitur hodie ad possessorem. Vellem, ut Ferretium meum inspicere ipsus posses, cum id, quod mihi est ejus exemplum manu celeberrimi, doctissimique Almeloveenii insignitum, cumque variis authoribus collatum sit. Adnotavit aliqua ad istam Psaltriæ memoriam, ut vocat Ferretius XLIII sed ad eam, de qua tibi quæstio est, inscriptionem, quæque in notis a Ferretio ad prioris scilicet dilucidationem adducitur, nihil. Eam vero cum breviuscula sit, describi feci integram. Videbis nomen illud non SEBASTONICÆ, sed divulsim SEBASIÆ NICÆ scribi. Prior Inscriptio, vel ut Ferretius indigitat Memoria XLIII. nihil ad hanc tuam facit, sed

ſed, cum de Pſaltria quadam agat, hæc tua, quæ Monodiariam celebrat, in illius illuſtrationem producta. Inſcriptiones iſtæ revocant in memoriam periculum Rhenferdii Punicum. Plus terna vice Wetſtenios obtudi, ſed aquam e pumice, vel, ſi mavis, cote petii. Negant ſe adipiſci illud poſſe, licet ſæpius Franequeram ſcripſerint, non deſtituros tamen usque dum conſequantur, Angaria, quod ipſis injunxi, illico transmittendum. Aſt ſi diu nimis morabuntur, ego ipſe ad Academiæ Bibliothecarium, qui mihi, cum ibidem nuper degerem, innotuit, ſcribam, ut viri, ipſi, dum in vivis eſſet, amiciſſimi ſcriptum procuret. Id quod jamdudum Te monere debuiſſem, ne promiſſorum parum memorem, vel obliviosum plane reputare poſſis. d. 16. Febr. 1715.

CLIII.

JO. HENR. MAJUS FIL.

Volo, ſeu potius jubeo (ita enim in terris noſtris loquuntur ruſticani) transſcribas, quæ Kuſterus ad Ariſtophanis Ranas Act. II. Sc. 5. verſ. 596. p. 141.

 col.

col. b. et ad hæc quidem verba: Ἀρχίδημος ὁ γλάμων, adnotaverit. Dein peto, significes, num Gisbertus CVPERVS in Harpocrate suo demonstraverit, omnes Aegyptiorum Deos fuisse alatos, quod quidem vir illustris in apotheosi Homerica innuit, ad Harpocratem suum remittens lectores, cujus tamen paginam non designat. Templi Salomonei typum ad te venire opto, quantumvis, ut suspicor, ad Villalpandi mentem expressum; neque enim ex recentiorum aliquo ejus puto sumtam esse structuram. Ferretiana lectio vocis SEBASIÆ NICÆ prorsus est malæ notæ, aliterque in ipso lapide scriptum esse, et diu conjeci, et firmatum postea vidi auctoritate Schurzfleischii in Actis literariis. Pericula periculi Punici Rhenferdiani, quæ narras, mira utique sunt, et paria fere fatis antiquæ Carthaginis, funditus deletæ; nam et hæc unica nullibi comparent, ne in Batavia quidem, natali solo. In tempore adhuc venturum est periculum istud, utpote qui post confectum orientalem catalogum tuum rerum Punicarum periculum facere constituerim. Res Punicæ in memoriam vocant res Melitenses, quarum si scriptores aliquos habes, velim nunc quidem tantum indices, donec eorum copiam per te mihi faciendam ef-

flagi-

flagitaverim. Mihi nullus ſuppetit alius, quam NIDERSTEDII Melita vetus et nova. Puto enim in Melitenſium lingua reperiſſe me Punicam illam veterem, quam perditam putarunt ad unum omnes. Forte D. Pritio Periculum eſt Punicum RHENFERDII, quo ſane carere non debet; qui opera Rhenferdiana junctim eſt editurus. Scripſit eo nomine Pater ad illum, ſed nondum tulit reſponſum. Scio tamen, te mihi illud per Vetſtenios procuraturum, aut per amicorum alium; neque ideo alterius opem, ne Pritii quidem, invocabo, quia tuæ fidei, et dexteritati benevolentiæque atque juvandi ſtudia mea conatui omnia committo. Carere illo ſex adhuc vel ſeptem menſibus potero, neque opus, ut digitis tuis, amice optume maxume, crebrius ſcribendo et e longinquis oris Rhenferdium advocando, ſtuporem contrahas, quin potius gaudeat, ſi bis, ter, citatus comparere noluerit, pertinacia ſua. Ceterum, quia pertinaciæ memini, problema tibi ad reſolvendum propono: Quid ſit pertinacia capitis? Ajunt, profeſſorem aliquem, tibi, mi VFFENBACHI, non incognitum in celebri Academia publicas per octiduum prælectiones hac de materia inſtituiſſe. Hiſtoriam plenius ediſſerendi dabitur forte alibi occaſio. Nunc titulum ſaltem

mirabimur, quem nec ipse, propter τὸ ὕψος capio, nec assecutus est illorum quisquam, quos hoc nomine consului. Bodinum Hallensem ex Juris doctore factum esse Theologum, novumque Geneseos interpretem, nunciavit heri amicus. Is vero tam perverse sacra mysteria, tam impie et scurriliter tractat, ut atheis delectationi sit, ceteris horrori. VIII. Kal. Mart. 1715.

CLIV.

JO. HENR. MAJO FIL.

Describere feci, quæ novissima Kusteriana Editio ad locum Aristophanis a te adsignatum exhibet, sed nonnisi Scholion veteris Scholiastæ est, quod Frobeniana anni 1547. et Æmilii Francisci PORTI Editio Aureliæ Allobrog. 1607. quas etiam consului, similiter habent. Citata etiam in appendice Suidæ loca in recentissima a KVSTERO tribus (ut Titulus non sine editoris eruditissimi opprobrio habet) *voluminis* vulgata Editione adjecissem,

ſem, niſi illa te gaudere credidiſſem. Ezechiel SPANHEMIVS in notis ad Ariſtophanem in finem voluminis rejectis locum non attigit. CVPERI Harpocratem quoque evolvi; quæſivi in Indice voces: *alæ, alatus, Deus, Ægyptii*, ſed fruſtra. Incidi tamen in locum, ubi Harpocratis ſui alas explicat atque expendit; vidique aliquos Deos Ægyptiorum alatos ab ipſo in medium produci, ſed omnes alatos ſibi finxiſſe non probat. Affert primo p. 32. ex Macrobii lib. I. Sat. c. 19. Solem alis propter velocitatem præditum: ſecundo, Priapum ex Suida voce πρίαπος p. 34. deinde paucis interjectis, non ſine debita tamen veniæ precatione, profanis iſtis, ſolem Iuſtitiæ Chriſtum, miſcet, cui a Malachia, adventum ejus prædicente, alæ tribuuntur; tum demum p. 85. Plutarchi Horapollinisque loca addit, quæ cum maxime ad rem tuam facere videbantur, excerpi juſſi. Poſtea Iſidem, Oſiridem, et ipſum denique tempus alis exornatum ſiſtit. Pag. vero 69. ſeq. demonſtrat CVPERVS, veteres, atque ante omnes, Ægyptios, Deos ſub animalium, avium præprimis figura repræſentaſſe; imo ex Plutarcho de Iſide monet, pleroſque Ægyptiorum ipſa animalia Deos feciſſe, et propterea ſannis ſe objeciſſe. Sed hæc licet in vul-

gus nota, adſcribere volui, quo videas, me omnia loca, ubi commode aſſertio illa: Omnes Deos alatos ab Ægyptiis fictos, extare potuiſſet, perquiſiviſſe. Spes potiundi typi Salomonæi templi omnis decollavit æque ac reliquarum, quas expetiveram, deliciarum. Reſpondet enim D. Mel, omnia vendita fuiſſe Principi Naſſovio-Dillenburgico, nihilque ſupereſſe, niſi Optica inſtrumenta, antiquariamque ſupellectilem, quibus tamen tam enorme ſtatuit pretium, ut tanti pœnitere cum fratre emere noluerim. Memoriam ſubit auguſtiſſimus elegantiſſimusque ejusdem Templi typus, quem ante aliquot annos Hamburgi (a) videre licuit ab urbis Senatore Schotto ingentibus ſtructus ſumtibus, ut tragicæ Hieroſolymitani excidii, in celeberrimo, quod impenſis hujus, dum dixit, Senatoris aperiebatur, Theatro Hamburgenſi, repræſentationi inſerviret, nunc vero, ab hæredibus multis florenorum millibus æſtimatus, emtorem expectat. Nullus dubito, quin de illo inaudiveris. Dici ſane nequit, quanta elegantia ſolertiaque conſtructus ſit. Aliquot horas illius perluſtrationi non ſine

(a) conf. *die Merkwürdige Uffenbachiſche Reiſen.* Part. II. p. 115. ſqq.

ne admiratione voluptateque una cum germano impendi. Omnes enim celeberrimi hujus Templi partes ex ſacrarum paginarum deſcriptione atque VILLALPANDI aliorumque doctorum illuſtratione, non ſolum quoad ſtructuræ, ſed etiam materiarum diverſitatem, proportionem, menſuramque exſtructæ. Conſpiciuntur hic etiam ſacra omnis generis vaſa ſuis in locis poſita ex argento, auro, ære, uti eſſe debebant. Sacrorum etiam Antiſtites, Sacerdotum denique cœtus cum ſuis omnes ornatu functionibusque. Arca tandem cum ſuis integumentis, neceſſariisque aliis affabre facta in ſanctiſſimo loco conſpiciebatur. Novum ante tres dies iterum nactus ſum Codicem Græcum non contemnendum, et quidem pretio pulcherrimo, hoc eſt, nullo. Dono enim ab amico quodam datus. Continet autem, quantum ex obiter facta inſpectione conjicio, Sermones aliquot Chryſoſtomi atque Baſilii Magni, in membranis exaratos. Quodſi Ebraicos Codices brevi, ut lætiſſimam ſpem facis, remiſeris, hunc cum aliis recepturus es. Periculum Punicum quod attinet, gaudeo, nullum moræ periculum eſſe, ſperoque fore, ut fidem meam aliquando liberare poſſim, ne Punicam in me, Germano ſane homine, credas. An D. Pritius, qui,

quod ex te primum audio, Rhenferdiana edere conatur, habeat, nescio. Bodinum tam repente, ut putidi solent nasci fungi, Theologum esse factum, illotisque manibus sacras conspurcare paginas, vix miror, cum hominis ingenium, moresque bene noverim. Dum vero de inficeto hoc Scripturæ interprete sermo est, non possum non, quin de autore quodam ejusdem furfuris perscribam, cujus manu plurima contaminata scripta nuper accepi. Horrenda sunt, quæ aliquot libris illevit. Rescire a fœmina, quæ libros deferebat, non potui, quis possessor fuerit. Suspicor autem DIPPELIVM, vestræ academiæ quondam Civem, seu ulcus, qui pari metamorphosi Medicum nunc agit Hagæ-Comitis strenuum, illum esse. Hunc enim iis, quos hic emunxit, aureos ex chymicis laboribus montes promittendo, hos carbones pro thesauro reliquisse conjicio. Genius enim ejus ex his scriptis elucere mihi videtur. Cum vero manus ejus ignota mihi sit, insigne officium, amice dulcissime, præstares, si vel epistolam, vel unicam ab illo exaratam lineam comparare posses. Nitidissime (b) autem, maximo-

(b) In Commercio epistolari Vffenbachiano,

ximoque labore scripta sunt omnia. Vnicus scrupulus mihi est, ubique linguarum orientalium, Græcæ etiam aliarumque peritiam studiumque autorem illum monstrare. Quæ an in Dippelio fuerit, ambigo. Tu vero, amice charissime, optime de his edocere me poteris. Legi his diebus non sine ingenti voluptate Cælii Secundi CVRIONIS Dialogum, quem *Probum* inscripsit, ac cum Pasquillo suo exstatico divulgavit, miratusque providi Numinis in eo ex gravissimo vitæ discrimine eripiendo curam, Nicolai STVPANI de illius vita fatisque orationem lustrandi desiderio incensum me sensi. Tu igitur eam mecum, si tibi in promtu sit, benevole communicare ne graveris. d. 2. Mart. 1715.

SPICI-

---

no, quod mihi ab immortalis memoriæ Mæcenate legatum fuit, exstat etiam epistola DIPPELII, ad eum ex civitate Christianstadt A. 1731. d. 10. Sept. data, quæ manu plane non eleganti scripta est. Subjecit illi nomen suum vir παραδοξόφιλος literis tantum initialibus N. D. M. D. quibus b. VFFENBACHIVS ipsum nomen DIPPELII, Medicinæ Doctoris, subscripsit.

SPICILEGIVM
de
CÆLIO SECVNDO CVRIONE.

Nicolai STVPANI memorabilem lectuque dignissimam Orationem de vita et obitu Cælii Secundi CVRIONIS ob raritatem et præstantiam inserui quondam XIV. Amœnitatum literariarum Tomo p. 325. sqq. non sine variarum rerum ad illum ejusque familiam spectantium auctario. Ejus quoque dialogum, Probi nomine insignitum, de mirabili e vinculis ac ipsis diræ necis faucibus liberatione, quem VFFENBACHIVS laudavit, in primo Amœnitatum historiæ ecclesi. et liter. Tomo p. 759. sqq. recudendum curavi. Hac vero occasione observo, Virum doctum Christianum Fridericum RASCIVM, Norinbergensem, quondam consilium de vita, fatis ac scriptis C. S. Curionis ex instituto commentandi cepisse, de quo hæc ad me A. 1740. d. 6. Febr. perscripsit: „Complures elapsi sunt anni, „ex quo texere cœpi vitæ fatorumque „Cælii Sec. CVRIONIS, nec non libro„rum ejus ac liberorum historiam. Cum „enim viri hujus eruditissimi aliquot in

„Cice-

„Ciceronem Commentarios evolvissem,
„iique valde mihi ob perspicuam brevi-
„tatem sese commendarent, ac præterea
„in manus pervenisset Jo. Nic. Stupani
„de Vita atque Obitu C. S. Cu-
„rionis Oratio, Basileæ A. 1570. 4to e-
„dita, multa continens scitu lectuque di-
„gnissima: factum est, ut in fata atque
„scripta hujus viri multo quam antea di-
„ligentius inquirerem, deque Oratione illa
„vel observationibus meis auctius aliquan-
„do edenda, vel de vita Curionis data
„opera denuo conscribenda, sæpe cogita-
„rem. Hoc tamen studium meum parùm
„abfuit, quin penitus abjecissem, postquam
„in amœnitates, seu potius delitias Tuas
„literarias incidi, quarum Tomo XII. ele-
„gantissimam exhibes Dialogorum Cu-
„rionis de Amplitud. B. R. D. historiam,
„a Te quam doctissime conscriptam: To-
„mo autem XIV. ipsam, de qua dixi,
„Orationem Stupani funebrem profers
„viri cujusdam eruditissimi Tuisque ad-
„notationibus locupletatam. His enim
„perlectis facile intellexi; præter ea, quæ
„Tu in Historia Dialogorum Curionis
„e tenebris in lucem primus protulisti
„mihi æque ac aliis prorsus ignota; ad
„Orationem Stupani quam plurima a do-
„cto illo viro ex iisdem fontibus hausta
„jamjam esse annotata, quæ ego quoque
„adje-

„adjecturus essem: itaque jure me supersedere hoc studio meo atque labore „posse. Sed rem curatius perpendenti „atque cogitanti, multa illic prætermissa „esse, quæ addi omnino mereantur, ne„que libros tum Curionis tum filiorum ejus „omnes accurate satis recenseri, visum „tandem est, studium hoc condendæ hi„storiæ Curioneæ ulterius prosequi. Quod „tum inprimis feci, cum Venetiis quin„quennio plus hæsi; qua in urbe pluri„ma comparare licuit Curionum scripta, „frustra alibi a me investigata. Te itaque „majorem in modum rogo obsecroque, si „quid ex eo tempore, quo Amœnitates „Tuæ prodiere, (quod minime dubito) „legeris adnotaverisque, quod ad histo„riam hanc quoquo modo facere possit, „id benevole mecum communicare, ne „dedigneris. Qua in re, uti non mihi „solum, sed et illustri EBNERO, cujus „hortatu hæc a Te petere ausus sum, „quam gratissimum facies, ita quin ea, „quæ peto, ab humanitate Tua sim im„petraturus, nullus dubito. Inprimis au„tem illud ex Te scire velim, an unquam „videris legerisve Thomæ VICCARSII „libellum, quo data opera Curionis Dia„logos de A. B. R. D. sibi sumpsit con„futandos. Hunc ignotum Tibi fuisse „tum, quum historiam horum Dialogo-

rum

„rum conſcriberes, ex eo ſuſpicor, quod „nullam illius mentionem feciſti. Nec „mihi hactenus eum, ſedulo licet requi- „ſitum, videre licuit. In Anglia is ſine „dubio excuſus eſt eo quidem tempore, „quo ſecunda Dialogorum Curionis edi- „tio Goudæ apud Batavos fuit evulgata. „Male interim nonnulli ipſum VICCAR- „SIVM horum Dialogorum auctorem fa- „ciunt, cum eorum potius ſit confutator. „Catalogum omnium operum Curionis „propterea Tibi mittere volui, ut ſi quem „in inſtructiſſima Bibliotheca Tua ſerves „librum a me nondum viſum, ejus inte- „grum titulum (vide quam audax in pe- „tendo ſim!) Dedicationem item et præ- „fationem ſumtibus meis deſcribi cures, „absque incommodo Tuo, ſi fieri id „poſſit.„ Sed hactenus lucem non vidit ille de vita ac ſcriptis Curionis commentarius, cujus rei cauſam ignoro. Cum vero NICERONIVS vitæ CVRIONIS, ſuis Commentariis biographicis inſertæ (*), adjecerit ſatis locupletem Scriptorum ejus indicem, ex eo, quem mecum communicavit RASCIVS, iſta duntaxat hic indicare viſum eſt, quæ ille prætermiſit. Sunt autem: 1. In

(*) *Memoires pour ſervir à l'hiſtoire des Hommes illuſtres. Tom. XXI.* p. 1. ſqq.

1. In Ciceronis Brutum Commentarius. Basil. 1564. in 8.
2. Hermogenis Rhetorica e Græco in Lat. conversa.
3. De utilitate historiæ legendæ exstat in Penu Artis historicæ. Bas. 1574. 1576. 1579. in 8.
4. Seneca cum C. S. Curionis castigationibus. Bas. 1557. in fol.
5. Notæ in Aristotelem.
6. Notæ in Isidorum.
7. Notæ in Sallustium.
8. Historia Obsidionis Magdeburg. a Besselmajero Germanice scripta et a C. S. Curione in Lat. conversa in 8.

Addo, Volumen MS. epistolarum a C. S. Curione et ad eum exaratarum in thesauro Vffenbachiano asservatum fuisse, quod nunc in publica illustris Reip. Hamburgensis bibliotheca cum cæteris exstat (**). Ex illo haud dubie varia ad historiam Viri præstantissimi ejusque familiæ pertinentia cognosci possent. Nec deerunt subsidia ad vitam illius illustrandam in Biblio-

(**) vid. b. Jo. Christoph. WOLFII Conspectum supellectilis suæ epistolicæ et literariæ manu exaratæ p. 137.

Bibliotheca Augusta Guelpherbytana, cum optimus Princeps AVGVSTVS Bibliothecam Curionum Patris et Filii Cælii Augustini, vel integram, vel bonam ejus partem in illam intulerit (*⁎*). Intima cum familiariaritate pio martyri, Aonio PALEARIO fuisse conjunctum, edocet hujus epistola ad illum data, (*⁎⁎*) quam hic legere fortassis haud injucundum erit, cum filiam hactenus ignotam et in Italia relictam Dorotheam suaviter et vivide veluti depictam nobis sistat.

„Mitto cum his literis effigiem Dorotheæ filiæ tuæ: verum, vt antea ad te „scripsi, ἔμψυχον ἄτεχνον. Equidem si „initio adfuissem, alteram tantum oris „partem a vertice per mediam frontem et „mentum (ut ajunt) ducto filo pingi vo„luissem, quod in antiquis numismatis „factum videmus. Opinio tamen est fe„re omnium hujus temporis pictorum,

(*⁎*) conf. b. Jac. BVRCKHARDI Historiam illius Bibliothecæ. Tom. I. p. 186.

(*⁎⁎*) vid. PALEARII Opera, Amstel. apud Henr. Wetstenium A. 1696. typis exscripta p. 551. sq.

„formam totam propius exprimi κατ᾽ „ἐπιφάνειαν, ut uterque oculus atque in„tegrum os adpareat. Omnino est ali„qua oris similitudo: sed longe forma præ„stat Dorothea, in vultu: qui, ut phy„sici monent, est animi index. Inest mi„rificus quidam pudor, in oculorum mo„tu matronalis gravitas, major certe, quam „ejus fert ætas. In gravitate quoque „mira humanitas, et incredibilis venustas. „Non est ejus facies suffusa rubore, ut „simulacrum ostendit: color est suavis et „verus, vegetæ ac lucidæ cutis, optima „scilicet totius corporis temperatione. „Si quis virginem intuetur, illico roseus „in vultu, et, ut Diogenes dicere sole„bat, ipsius emicat virtutis color. Sta„tura neque admodum procera, neque „parva (est enim, ut scis, annos nata de„cem) neque tenui corpore, neque obeso „nimis, sed agili, atque expedito, apta „denique figura membrorum, quam Græ„ci nostri συμμετρίαν vocant. Illud ve„ro, quod pluris faciendum est, immo „quod caput est, et in quo posita sunt „omnia, non præteribo: duas habet du„ces ac magistras, Angelam et Felicem, „lectissimas feminas, quæ puellam inge„nue et liberaliter educant, et ferunt in „oculis. Numquam vidi parentes indul„gentiores, et quæ a liberis ita amari velint,

„lint, ac iſtæ a tuis. Ferrent id mole„ſte, ſi audirent: nam utraque Doro„theam filiam ſuam adpellat: cumque li„beris careant, certant ambæ amore, et „officiis inter ſe, in alenda et ornanda „puella. Deus, princeps et rex omnium „ſæculorum, eas tueatur, ac ſervet. Ne„que enim multas habet hæc ætas tanta „caritate flagrantes: quæ hodie, quantum „video, apud omnes gentes deferbuit, „vel exſtincta potius eſt. Dominus no„ſter, Ieſus Chriſtus, qui poteſt, nos ju„vet, et ſua ope ſuſtentet. De rebus „meis nihil ſcribo, quod binas te de his „literas accepiſſe arbitror. „

CLV.

JO. HENR. MAJVS FIL.

Et literas, et adjectam ſchedam, CVPERI Ariſtophaniſque commentatorum verba ediſſerentem, et nova gentis tuæ inſignia recte accepi. Illæ amorem erga me tuum ſic confirmant, ut magis amicas deſiderare nequeam: iſta ignoran-

tiæ meæ partem leviſſimam (longe enim craſſior in animo reſidet) tollit, eoque nomine acceptiſſima; hæc denique perpetuum nominis tui monumentum penes me erunt, quod librorum alicui abs te, amicorum dux et caput, mihi donatorum, præfixi. Satisfeciſti deſiderio meo, immo plus ſatis; nam et indicaſti, quæ in Harpocrate huc facientia inveniebas omnia, et Ariſtophanis locum bene expreſſum curis Kuſterianis adpoſuiſti. Miror vero, neminem interpretum Lyſiæ meminiſſe, qui orat. XIII. p. 245. Archedemum illum lippum nominat. Salomonæi templi typum ab alio præreptum, et tui cauſa, et mei vehementer doleo, ac graviter moleſteque fero. Tibi quidem gaudio fuiſſet, ornamentoque, mihi vero mirifice inſervire potuiſſet, clariusque monſtrare, quæ nonniſi obſcurius intelligo, minusque apte auditoribus meis oſtendere valeo. At Hamburgenſe illud templum plane omnem meam effugit notitiam, qui ex illa urbe, quam bis ſalutavi, diſceſſiſſem, niſi viſa magnifici operis ſtructura. Itaque duplex me invaſit mœror, cum quod ædem ſacram Hamburgenſem non conſpexerim, tum quod ejus typus ad te non pervenerit. Nactum te eſſe ſcribis codicem Græcum, et pulcherrimo quidem pretio. Quid ſi opera mea, eodem-

que

que pretio, acciperes Ebraicum manu exaratum? Immo jam tibi destinavi hunc meum unicum codicem, quem si inserere tuis velles, haberes quandocunque liberet. Continet AVERROIS commentarium in Prædicamenta et Prædicabilia, estque membranaceus; quem possederunt viri docti, HELVICUS, uterque MENZERUS, pater etiam meus, qui mihi illum aliquot abhinc annis concessit. Eum proxime ad te mittam, si prius ita excussero, ut catalogo tuo, vir amicissime, orientali inseri queat. Dippelius plus quam mediocri peritia linguarum Ebraicæ Græcæque instructus est; nescio an etiam aliarum; eas certe non ostentat. Nihil literarum characterumque ejus possidet pater; possidere vero se non diffitetur communis amicus Langius, cujus adjectam hic leges schedam. Tres nuper libros Manuscriptos Arabicos consecutus sum, ejusdem argumenti; sunt enim fragmenta Alcorani, cujus diversa capita continent singuli, ita tamen ut aut alia complectatur prior a secundo et tertio, aut plura, aut pauciora. Missus quoque ad me est ex principatu Onolsbacensi ectypus nummi, quem nec legere nec intelligere potuerunt possessor amicique ejus. Deprehendi in adversa parte effigiem

Thaletis Milesii (c) hisce literis, sed ignorabilius scriptis, circumscriptam: ΘΑΛΗΤΟΣ ΜΙΛΗΣΙΟΥ. In aversa vero, feminam cornucopiæ dextra tenentem, ante cujus pedes humilis est posita ara, cui gallus insidet gallinaceus, pone quem gladius vagina extractus conspicitur. Copiæ cornu felicitatis, gallus gallinaceus prudentiæ, ensis fortitudinis bellicæ symbolum est. Nunc facile epigraphen intelligemus: Ουτως απολλυειν (d) δυναμιϑα.

Ita

(c) Quæ de hoc nummo suis in literis disseruere MAJVS ac VFFENBACHIVS, exhibuit in tertia parte Actorum Philosophorum, p. 520, sqq. Summe venerabilis D. HEVMANNVS, qui et in quarta parte p. 682. hujusce nummi ectypum æri incisum, ac suam de eo, quem genuinum haud esse, solidis permotus rationibus censuit, epicrisin dedit.

(d) D. HEVMANNVS, ipsum illum nummum beneficio SCHLEGELII nactus l. c. ex αὐτοψίᾳ testatur, non Απολλυειν sed Απολαυειν perspicue in eo legi; verba itaque hæc sic interpretanda sunt: *Ita frui possumus.* Idem observat, fœminam in aversa conspicuam,

cornu

Ita perdere possumus, scilicet hostes: vel cum interrogatione: *Itane perire possumus?* Minime. Adest quippe nobis fortuna, prudentia, fortitudo. Thaletis imago visitur quidem ex marmore expressa in thesauro, quem possideo, Gronoviano, sed quam editor plane rejecit, quippe quæ Thaletis mite ingenium haud referat, quod accurate nummus meus exhibet. Vide, si vacat, num observatus hic nummus sit alicui antiquariorum et illustratus. Ego enim ejusmodi careo auctoribus. Vide etiam, an Glossaria tua habeant vocem Συμψέλλια, quæ semel legitur apud Epiphanium hæresium LVIII. §. 1. et rescribe. WOLFIVS Hamburgensis multis nuper verbis a me per epistolam petiit, velim indicem Codicum Manuscriptorum tuorum, quos adhuc excussi, transmittere. Dubius hæsi diu, quid facerem. Tandem, ne rusticus plane haberer, et hominis nomine vix dignus, annui Viro optimo, brevemque et uno folio in quarto, ut vocant, comprehensum librorum tuorum Manuscriptorum

ptorum

---

cornu copiæ dextra tenentem, sinistra remum tenere, pone aram vero, cui gallus insidet gallinaceus, conspici columnam, circumvolutam serpente, superne autem globo ornatam.

ptorum Rabbinicorum misi catalogum, ratus, e re etiam tua esse, ut bibliothecæ, quam molitur, Rabbinicæ nomen tuum inferatur. Quod si inter eos libros conspexeris olim etiam illum Averrois, quem tibi me destinasse scripsi, ne id mireris; jam enim WOLFIO, num et ego quosdam possiderem Manuscriptos Codices scire desideranti, rescripsi, unicum mihi esse, sed quem tuto inter Vffenbachianos referre debeat, donandum quippe tibi, si volueris, adjungendum ceteris Manuscriptis tuis, ne solitaria vita, quam penes me vivit, contabescat. Est mihi Heliodorus nuper oblatus, Gallice versus, Parisiis 1623. 8. cum elegantissimis figuris æneis, eundemque illico meum feci; at nunc cum Græco permutare gestio. WEBERO nostro, cui duplex Heliodori Græco-Latini copia est, permutatio non placet, nescio quibus de causis. Si tibi placeret, gratularer mihi, inprimis quum diu inquisiverim istum Græculum; immo, quamvis commutatio non arrideret, et tamen sine illa habebis Gallicanam interpretationem, nisi jam ab ea instructus es. ENNEMANNVS, (e) Sue-

(e) conf. hujusce Sylloges Part. II. p. 379. 386. 389.

Succus ille, qui ante hunc annum tuam, mi VFFENBACHI, invisit bibliothecam, forte memoriæ tibi adhuc est, cujus mortem nunc tibi nuncio. Pervenit in patriam, obiit munus linguarum, duxit uxorem magnis parentibus natam, et opibus gaudentem, sed virtute præcipua carentem. Vix enim ENNEMANNVS trimestre cum ea cohabitavit spatium, statimque pater factus est. Quæ non sperata calamitas tanto adflixit opere amicum illum nostrum, castitatis honorisque, si quisquam alius, studiosum, ut mortem sibi inde contraxerit. Cujus præmaturum fatum valde me consternavit, quum non exigua commoda ex ejus amicitia speraverim. Hic revocanda illa quæstio: *sitne literato ducenda uxor?* Decepti sunt hujus ordinis tam multi prudentes viri, neque errorem fraudemque vel sapientissimus evitare poterit, nisi qui tanta pollet vi odora, ut in penetralia mulierum sese ingerere queat. Sæculi nostri ratio, et parum pudicus in sexu inferiore habitus, magna illa phylacteria, quæ nimium dilatant, ut corporis molem tegant, spem faciunt homini Musis dicato levem, potiundi ea, quæ circulos non turbet. Sed quid hæc ad te? Cui ad reliquam felicitatem addita suprema illa est, conjunx teres atque rotunda, qualem tute optasti, qua-

 lem-

lemque Pythagoras non respueret. Plane enim, quæ de viro bono ille sensit, ad eam costam tuam pertinere videntur. Quid hæc ad me? cui musinandum est, velumque obducendum, quod idem Pythagoras auditoribus suis, nondum ad sublimia provectis, oppandit. Bene vale cum conjuge tua, liberisque, et me ama. Dabam Giessæ octavo Id. Mart. CIƆIƆCCXV.
Quomodo CVPERVS de apotheosi Homeri p. 45. se in Harpocrate probavisse *omnibus Diis* Ægyptios tribuisse alas, scribere potuerit, miror; quia vere non præstitit. Absit enim, ut diligentiæ tuæ diffidam; immo tam multum ei tribuo, ut quum, CVPERVM secutus, id de omnibus Diis adfirmaverim, abs te meliora edoctus, e vestigio deleverim. Hoc inde didici, non semper credendum auctoribus, de se suisque scriptis aliquid proferentibus. Ignoscamus fas est levissimum errorem viro illustri, cujus curæ in majoribus occupantur negotiis, quam ut ejusmodi minutiis plenam adhibere industriam possit. STVPANI orationem, quam desideras, me frustra hic loci quæsivisse doleo.

OBSER-

OBSERVATIO

de

MICHAELE ENEMANNO SVECO.

Mendacem rumorem de inauſpicato Michaelis ENEMANNI, Viri longiori vita digniſſimi, conjugio ad MAJVM noſtrum fuiſſe perlatum, ex laudatione ejus funebri publice A. 1714. d. 29. Nov. ab Erico BENZELIO filio recitata elucet. Inſeruit eam Cel. Chriſt. NETTELBLADT Memoriæ redivivæ Virorum in Suecia eruditiſſimorum, SemiDecadi IV. p. 209. ſqq. Ibi enim p. 238. ſq. hæc de ejus præmatura et Orbi literato, qui multa egregia a Viro optimo ſperare potuiſſet, luctuoſa morte commemorantur. *Notiora ſunt, quam ut dici debeant, quæ acta ſunt breviſſimo utique ſpatio temporis, quod reditum noſtri* (ex Oriente et aliis itineribus, in Europæis regionibus peractis) *et ſuprema interceſſit; et quo anguſtius fuit, hoc acerbius ENEMANNVM dolemus. Ruebat in complexus caſtiſſimæ virginis, et omni virtutum genere laudatiſſimæ Catharinæ RVDBECKIÆ, et jam conſtitutus erat dies, Michaeli Archangelo ſacer, quo ſolemnia nuptialia celebranda erant, ſed pridie, adeoque die proxime ſequenti, quam novum*

novum munus auspicatus erat, ingruens adversa valetudinis vis lecto eum affixit: interim cupiebat fœderis conjugalis solemnia non differri ac procrastinari. Ipsi per vos cogitatis, Auditores, quo animo tum fuerint sponsa, parentes, cognati, convivæ, nisi quod speciem lætantium redderent. Levior fuisset hic dolor, nisi idem morbus, sive pleuritis is erat, sive præcordiorum suppuratio, intra sextum diem novam nuptam marito suavissimo, te, mæstissime RUDBECKI, gratissimo genero, literas Orientales præsidio suo, familiares amico conjunctissimo orbasset. Noster initio quidem obluctabatur morbo, sed jam plus eum degravarat, quam quod posset attolli. Excussis itaque terrenis hisce omnibus, reputans peregrinationem esse hanc vitam nostram, beatam ἀνάλυσιν et properum in cœlestem et veram pătriam reditum optavit (f). *Atque forti animo ejulantis corculi clamores exaudiens, ei tenerrimum Vale, Vale, dixit, nec desiit exhortationibus piis eam alloqui, se ipsum vero divinis cogitationibus confirmare, ac absolutissimo sanctissimi Redemtoris merito plenus ingentis fiduciæ confidere. Has inter pias meditationes et sensum immortalis gaudii et quietis, in cœlestibus Hierosolymis, post tot itinera, ærumnas, pericula, in tutissimo portu percipiendæ, placide et tranquille obiit III. Non. Michael ENEMANNUS noster,*

(f) Æschin. Socr. Axiocho Cap. 3.

noster, maximum sui desiderium nobis omnibus reliquens. Hæc profecto e diametro adversantur ignominiosæ illi putidæque narratiunculæ, eamque mendacii coarguunt. Post trimestrem cum impudica uxore cohabitationem ex mœrore mortem sibi contraxisse perhibetur ENEMANNUS: at hic, eum jam graviter decumbentem in lectulo emortuali nuptialia sacra cum virgine castissima et omni virtutum genere laudatissima celebrasse, paucosque post dies inter luculenta tenerrimi in novam conjugem amoris testimonia beatam obiisse mortem, in solenni panegyri coram auditoribus omnium rerum gnaris asseveratur. Sed hac etiam occasione quædam alia ENEMANNO valde honorifica commemorare lubet. A. MDCCVII. d. 23. Febr. in illustri Pomeranorum Academia pereruditam aque semetipso elaboratam Dissertationem de Salute infantum, sine baptismo decedentium, Christianorum et Gentilium, sub præsidio D. Jo. Frid. MAYERI, Theologi tum Gryphiswaldensis primarii, publicæ ventilationi subjecit, cui præfixa est Præsidis ad Respondentem suum epistola, in qua ita inter reliqua ad illum: *Qui vitæ morumque sanctitatem, magnas animi facultates, eruditionem profundam, imo ipsam in studiis contentionem amant, non possunt non in tuos ruere ample-*

plexus, te amare, tibi favere, tuas promovere ac augere felicitates, ENEMANNE, virtutum omnium expressissimum instar. Vnde manifestum est, quam præclaram spem in viridi jam vernantis ævi flore de se concitaverit Vir eximius. Arbitror, lectoribus meis jucundum fore, heic recognoscere, quæ de eodem Fridericus Thom A. MDCCXV. d. 15. Nov. Giessa ad b. VFFENBACHIVM nostrum perscripsit: „Giessæ hactenus subtilissimæ excellentissi-„mæque doctrinæ ICtus GROLLMAN-„NVS me tenet: cujus de operarum mu-„tatione Tractatus, quinque dissertationi-„bus absolvendus, futuris nundinis ver-„nalibus lucem adspiciet. Tres jam pro-„stant disputationes, quartæque defensio-„nem ego suscipiam. Post anni vero spa-„tium Argentoratum, postea Parisiorum „Lutetiam proficisci in animo habeo: ubi „locorum paratissima mea officia consecra-„ta habebis; interim scio, in illis terris a-„micos alios nec defuturos. Grata tunc „forte officia tibi præstitissem, si de Septen-„trionali re literaria certiorem reddere „te potuissem: Vpsaliam enim tendebam. „Sed fautoris mihi conjunctissimi Michae-„lis ENEMANNI, linguarum Orient. Pro-„fessoris Upsaliæ celeberrimi, mors præ-„matura, per longam ad terras Orienta-„les peregrinationem inducta, præsentes-

que

„que bellicæ Suecorum turbæ obicem pro„posito meo posuerunt. ENEMANNVM „Francofurti te convenisse nullus dubito. „Vir erat ingenio alacri gaudens, gravi „prudentia temperato, statusque historiæ„que terrarum Orientalium peritissimus, „qui tam Physicis, quam aliis illarum „gentium pretiosissimis rarissimisque mo„numentis, præcipue nonnullis Turcarum „Manuscriptis, statum Imperii Ottoman„nici publicum describentibus, cistarum „aliquas repletas habuit. Omnia hæc „Sueciæ Regis jussu sumtibusque magno „labore ac periculo, quatuor annorum „spatio, ipse collegerat, jureque donatio„nis munificentissimæ (nam decem milli„bus florenorum æstimabat) Orientis hæc„ce spolia Upsaliam feliciter, ut ipse me „literis certiorem fecit, secum apporta„verat, ex quibus nonnulla Amstelodamo „ab ipso mihi transmissa in memoriam „Viri hujus custodio. Manuscripta ejus „accuratissime consignata, quæ hic loci „videre mihi contigit, quibus vero ulti„mam manum admovere ipsi non fuit „integrum, mortem Viri orbi erudito „magis deplorandam reddunt. Erant in„ter ea 1) Descriptio Palæstinæ 2) De„scriptio Constantinopoleos cum designa„tione status jurisquepublici Ottomannici „præsentis. 3) Catalogus Cimeliarchii sui

Ori-

„Orientalis, et alia. Primum optime cum „Hadriani RELANDI Palæſtina nuperri„me edita conferendum fuiſſet. Siqui„dem accurato ſtudio, quo ENEMAN„NVS, RELANDVM pariter opus con„ſcripſiſſe præſumendum eſt, quippe hic „Ultrajecti fidem ſocium Henricum Lüb, „per ſeptendecim annos in ipſa Palæſtina „verſatum, a quo multa potuit expiſca„ri, habuiſſe conſtat.

CLVI.

JO. HENR. MAJO FIL.

Si unquam emunctæ naris cuiquam (nam abſit, mihi ipſi) videri potuerim, jam certe viderer. Quippe qui hactenus helleboro albo ac nigro, quibusvis aliis ſternutatoriis pulveribus, tabaci fumo, reliquisque catharticorum generibus uſus fui. Aſt tanta inclementia cœli tempeſtatisque fuit, rheumatisque, quod me vexarat, pertinacia, ut, ſit venia verbis, mucoſus pituitoſusque hæream non ſolum, ſed et piſtillo obtuſior, hebes, et ad legendum, ſcriben-

bendum, imo omnia ineptus maneam. Experiar igitur, nec fine fiducia quidem, num tuæ literæ, amice lectiffime, has mentis nebulas difpellere valeant. Præftabunt vero id certiffime omnique pharmaco præftantiores erunt. Cum enim nil nifi amorem fpirent, reddent fane, nifi olfactus organo fenfum integritatemque, animo attamen ferenitatem, hilaritatemque, eo magis, quod prolixiores folito eoque jucundiores dederis. Illas igitur in manus recipio, velut præftantiffimum ab ipfo Galeno præfcriptum medicamen, easque non lego, fed iterando oculis, per quos tibi juro, velut præfentiffimum, jucundiffimumque pharmacum quafi devoro. Stomachum equidem movere poffet, quod Helluonem librorum me exiftimes, et unico, quo gavifus es, codice te privare, me vero donare velis. Sed agnofco tui amoris benevolentiæque magnitudinem, meamque infatiabilem atque inexplebilem aviditatem, ideoque nullam mihi, fed tibi ipfi potius injuriam fieri. Sæpius te, amice dilectiffime, monui, ne meam amplius tentes impudentiam, defideriumque accendas. Quod cum tu neglexeris, ipfe videbis, quid facturus fis, me non renitente, nilque nifi gratias debitas agente. Unicum tamen eft, quod a te exigo, ut hunc fcilicet tuum Codicem primo o-

mnium in Catalogo loco ponas, addasque, ab amica liberalique manu tua profectum illum fuisse. Velim enim, ut aliquo specimine publico innotescat, quantus tuus in me sit amor atque liberalitas. Cumque jam in Wolfiano opere codex hic tuus, quod mira tua voluit benevolentia, nomen meum præferat atque exornet, pateat velim, quam grato jucundoque titulo a me possideatur. Gratias vero tibi et meo, et WOLFII, viri optimi, nomine habeo, quod omnium Manuscriptorum titulos impertiri volueris. Non ei mihique solum, sed universæ rei literariæ gratificatus es. Nec præstantissimæ, quam his meis impendisti Codicibus, operæ, quod sane noluissem, decedet quidquam, cum WOLFIVS honorificentissimam, uti par est, ejus mentionem se facturum, tuamque in concedendis his titulis humanitatem deprædicaturum promiserit. Iterato enim has, quas vides, ad me literas scripsit, significavitque, se hoc a te petiisse. Ægre id ferebam, quod plane abnuerim, verererque, grave id tibi futurum, ideoque nihil reposui, quod cum sponte mutasse sententiam te intelligam, doleo. Sed sufficiat ipsi, quod tam facilem te invenerit. Ego vero satisfeci ei in Catalogo Pico-Gaffarelliano transmittendo. Addidi etiam Indicem Cabbalistico-

listicorum scriptorum typis exscriptorum, quos possideo, et eorum etiam, quos ex illis abs te, amice charissime, in mei gratiam olim notatis hactenus adeptus sum. Quod pace etiam tua factum, spero. Obtuleram WOLFIO Catalogum quoque Arabicum ab Hebedjesu confectum, num forsan in appendice, ob raritatem suam, adjicere vellet, ast ut vides, nil respondit. Sed ad dulcissimas tuas redeo, tuamque in Thaletis nummo explicando dexteritatem miror. Quodsi genuinus foret, quod inspectio docere potest, rarissimus præstantissimusque esset. Varios sane ipsus possideo nummos, veterum Philosophorum ac Poetarum vultus referentes, sed omnes fere spurii sunt. Sed cum neque ipsum, de quo quæstio est, nummum, neque ectypum viderim, nil definire audio. Excussi vero omnem meam antiquariorum sat locupletem, præfiscine dico supellectilem, sed frustra illum quæsivi. Illustrem SPANHEMIVM vel WILDIVM illum certo producturos, quippe qui non Imperatorum familiarumque nummos solum, sed et alios recensent, vel etiam STANLEJVM in historia Philosophiæ ejus mentionem facturum sperabam, sed fefellit opinio. STANLEJVS equidem ex Cicerone, Herodoto atque Diogene Laertio ejus in rebus civilibus, gerendaque re-

republica prudentiam ſingulari capite, X. ſcilicet laudat, exemplisque comprobat, et capite XIII. ſtatuam ei poſitam cum inſcriptione e Laertio refert. Quæ eruditam tuam opinionem non modo confirmant, ſed probabile etiam faciunt, nummum hunc in ejus honorem cuſum fuiſſe, quippe cui ſtatua etiam erecta fuerit. De voce Συμψελλια omnia Gloſſaria Lexicave mea ſilent præter du FRESNE, et LABBÆI. Petam nunc, quod jamdudum debui, ut in ſchedula Lexicorum, quæ ipſe poſſides, amice chariſſime, indicem nectas, ne actum agam, evolvendo, quæ jam excuſſeras, tuisque, data occaſione, commodis invigilare in comparandis aliquibus queam. Velim etiam, ut copioſiſſimum, quod tibi unquam innotuit, Lexicon Latinum indices. Ego ſane fruſtra tale quoddam quæſivi hactenus. Nec Forum, uti vocant, Latinum, nec omnes, quot corradere potui, Synonymorum, Epithetorum ac phraſium theſauri ſatisfaciunt. FABRI Theſaurus vere Theſaurus eſt, ſed criticus, omniaque alia Lexica præſtantia ſuperat, ſed verborum copia, Synonymorum inprimis, quam ego maxime deſidero, caret. Theſauro me donabis, ſi locuples Lexicon Latinum indigitaveris. Vocem συμψελλια non intellexiſſe PETAVIVM aſſerit CANGIVS, citat-

citatque Glossarium Latinitatis voce *Scamnum.* Sperabam igitur hoc loco errorem PETAVII monstrasse, aliaque ad illustrationem vocis indicasse; sed nil minus. Ibi enim Scamnum vocem agrimensem esse, denotare etiam Eculei speciem Vadum, et ad merces carnesque exponendas adhiberi animadvertit. Sed nil amplius addit, ut iterum mireris, Virum illustrem inutilem citationem, quod CVPERO etiam nuper accidit, fecisse. Deos hujus alatos porro aucupatus sum, sed invita Minerva. Augurabar, KIRCHERVM in Oedipo illos depinxisse, vel, quod Viro huic parum cauto atque circumspecto non insolens fuit, finxisse; sed nec Davus hic, nam non semper Oedipum se præstitit, illorum verbulo meminit. Rejectam a Collega tuo permutationem Heliodori lubentissime inirem, si mihi aliqua ejus editio duplici in copia esset. Non miror Collegæ tui repulsam, cum illum noverim. Sed de his coram futuris nundinis, nam primo statim illarum die, si non antea, te in domo mea, uti certissimus spero, sistes. Est autem mihi Heliodori duplex quidem exemplum, sed alterum nonnisi ex latina, Stanislao Warschewiczki interprete, versione, præfixo MELANCHTONIS judicio, Ursellis 1601. forma minima editum; alterum cu-

ra Danielis PAREI ex manuscripto Codice Palatino, et aliis emendatum, atque Francofurti 1631. in 8. typis exscriptum. Illud cum Grajus sis, mi MAJE, doctis oculis tuis indignum, hoc vero si aveas, habebis a me, licet nemini mortalium contigit, nec unquam nisi tibi, amicorum principi, omnium mortalium, si familiam adjungi tibi non spernas, dilectissimo, continget, ut librum, vel folium etiam Bibliothecæ semel insertum, quovis titulo ex illa tulerit vel ferat. Omnes Librariorum tabernas exquiri jussi, num forsan Heliodorus in aliqua lateret, tibi dicandus. Sed quidquid bonorum librorum olim exsuperavit, evasit, et nostræ civitatis idiotæ, Bibliopolarum nomine vix digni, loculamenta quisquiliis, quibus Respublica literaria novissimis his temporibus oneratur, vel ad summum Postillis, ut vocant, novaque mentientibus schedis replent: adeo ut nullus fere bonæ notæ liber, si vel decem ante annos prodierit, reperiri apud illos queat. Quidquid etiam bonorum librorum inter privatos etiamnum latet parietes, Bœttigerus nequam aufert, illis præ ignorantia atque pecuniæ inopia nil audentibus. Ast quorsum me rapit indignatio; alius succedat, et quidem justissimus, ob triste ENNEMANNI, quod nuncias, fatum mœror. Meliori

sane

longiorique ob virtutem, eruditionem, experientiam, eque longinquis Orientis oris parata spolia dignus erat Vir optimus. Optandum fuisset, ut antequam malam istam herbam, (fœminam dicere volo, quæ herba Botanicis; *Noli me tangere* appellata Eruditis esse solet:) attigisset, in vestra Academia mortuus hospes fuisset, eique vel tibi etiam, amice charissime, quæ secum ferebat, cimelia legasset. Sed auget nunc utique infelicium literatorum numerum. Molliter ossa ejus cubent, cuculo vero illi, qui ova in nidum ejus posuit, nulla sit quies; sed velut noctua, omnibus bonis exosa avis, circa Athenarum rudera, quæ noster inviserat amicus, oberret. Athenarum rudera in mentem revocant Constantinopolitanæ urbis ruinam a Langio descriptam. Illa in usus tuos exarata equum Trojanum expectat, ad te, cum Codice veteri, aliisque Hebraicis novis devehenda. Reperi in illo codice varia annotata historica non contemnenda, quæ cum ante Reformationis, quam vocant, tempora scripta fuerint circa annum nimirum 1471. ut ex fine sermonum Discipuli patet, maxime notabilia, notataque bene a te sunt, quæ de Johanna Papissa, morte Henrici VII. Imperatoris, et de Hattone Moguntinensi leguntur. In Papi-

gg 4 colarum

colarum opprobrium ſunt, quae de Papiſſa et Hattone hic confirmantur; fabulae licet a doctis ingenuisque merito exploſae. Quae vero de dubia Imperatoris morte afferuntur, altioris ſunt indaginis. In fine Hermannus quidam author ſaepius citatur. Putabam igitur Veringenſem illum Comitem innui. Sed evolutio Chronici illius in PISTORII collectione docuit, illum Chronicum ſuum ultra annum Chriſti 1065. non produxiſſe. Finirem, niſi tecum confabulando rhevmatis moleſtias fallere animus eſſet. Quod enim initio ſperabam, literae tuae dulciſſimae praeſtiterunt, fractos animi nervos refocillando. Indulgebo igitur jocis. Noſti, amice dilectiſſime, Hermannum illum Comitem, de quo jam dixi, Contractum vulgo adpellatum eſſe, quod pedibus aeger eſſet, vel ſi mavis, paralyſi laboraret. Latebat hoc Bibliothecarium quendam, ut putidum commiſerit ſoloecismum. Interroganti enim, ut amicus quidam retulit, num Hermannus hic Contractus in Bibliotheca exiſteret? Reſpondit cum ſupercilio: Hermannum procul dubio praeſto eſſe; aſt compendium illius (tale enim putabat requiri,) minime, cum Compendia in tanta ſupellectili vix locum mereantur. etc. Sed a jocis redeo ad ſeria. Enixe me his diebus Carolus Chri-

Christianus Schroeterus Zittaviensis, Vir non indoctus, rogavit, ut secum communicem, quaecunque mihi de Guilielmo NESENO, MELANCHTHONI et LVTHERO charissimo, qui in Albi infeliciter periit, cognita sint. Cum vero praeter illa, quae in ERASMI Epistolis, CAMERARII Vita Melanchthonis, DIFFENBACHII nostri praefatione in quendam Georgii Grabovii librum, ac SECKENDORFII Historia Lutheranismi de eo habentur, nihil mihi constet, obsecro te, ut, si plura noris, illa mihi ipsique non invideas. d. 16. Mart. 1715.

ANALECTA
de
Wilhelmo et Conrado NESENIS,
eximio fratrum pari.

De his elegantis ingenii ac doctrinae fratribus, quicquid potuit, studiose collegit et edisseruit Christianus Gottlob PITSCHMANNVS, Gymnasii quondam

Zittavienſis collega, in præfatione, Dubiis vexatis Hiſtoriæ eccleſ. ſæculi III. præmiſſa, cujus fortaſſis in gratiam Schrœterus b. VFFENBACHII ſuppetias quæſivit. Poſt ejus igitur meſſem ſpicilegium hic ſuppeditare non piget.

Wilhelmus NESENVS, quem natum eſſe A. 1493. Pitſchmannus p. 26. l. c. haud dubie ex monumentis familiæ Neſenianæ, hodienum Zittaviæ florentis, refert, origine haud fuit Helvetius, quod tradit, Jo. Jac. HOTTINGERVS (a) neque Zittavienſis, quod in Lexico doctorum Virorum biographico (b) aſſeritur, neque Belga, quod perhibet Caſpar VLENBERGIVS(c): ſed natales ſuos oppido Haſſo-

(a) Lib. VI. *der Helvetiſchen KirchenGeſchichten*, p. 217.
(b) Tom. III. p. 866. edit. recentiſſ.
(c) in Hiſtor. de vita et rebus geſtis Mart. Lutheri p. 221. ubi ita de eo: *Erat Wittenbergæ Belga quidam, Guil. NESENVS, vir literatus admodum, quem Lutherus et Melanchthon in deliciis habebant, tum ob morum ſuavitatem, quæ Belgis fere congenita eſt, tum vero, quod Lutherus illius operam ſuo tempore in Belgio ad errores proſemi-*

Haſſo-Rheinfeldenſi *Naſtede* (d) debuit. Naſtatenſem enim ipſum nominat ERASMVS Roterod. cui perquam familiariter fuit cognitus, in dedicatione ſecundæ editionis Commentariorum de duplici copia verborum ac rerum. Conradus etiam frater in frontiſpicio Dialogi bilinguium ac trilinguium, ſive de funere Calliopes A. 1520. evulgati Naſtadienſis Germanus vocatur. Ipſe vero Wilhelmus in nuncupatione Parochialis Curatorum, a Mich. Lochmayer concinnati, A. 1514. Baſileæ ſcripta ſe Anaxopolitanum appellat, cujus rei

---

ſeminandos non inutilem ſibi futuram videbat. Contrarium teſtatur ERASMVS, cui intus et in cute notus erat NESENVS, ita ad Jodocum Noetium Conſiliar. Brabant. A. 1519. Lovanio ſcribens: NESENVS *hoſpes eſt, et linguæ noſtratis* (Belgicæ) *imperitus.* Epiſtolar. Lib. XIII. f. 437.

(d) Pitſchmannus l. c. p. 20. Patrem Neſenum vixiſſe in Electoratu Trevirenſi verſus tractum Haſſo-Rheinfeldenſem meminit, ipſum vero locum natalem nominatim haud indicat. Nullus dubito, quin Naſtadium in rebus eccleſiaſticis ad diœceſin Archiepiſcopi et Electoris Trevirenſis pertinuerit.

rei rationem aliis investigandam permitto: illam autem dedicationem, cum tam pauca viri politissimi supersint, hic exhibere operæ pretium arbitror.

„Guilielmus NESENVS Anaxopolitanus
„D. Joanni Dignower Sacer-
„doti integerrimo
S. P. D.

„Amor ille tuus, Vir Ornatissime, quem „habes erga rem divinam, literasque po-„litiores et honestum, et utilem, cui non „arriserit? Nam non est unus in tanta „auctorum tum arcanorum, tum poeta-„rum historicorumve cohorte, qui tibi „non vel domestice sit notus, cujusque „thesaurum non tractaveris. Hinc tua „præclara peritia dimanavit: hinc elo-„quentia tibi neutiquam vulgaris fluxit: „hinc vitæ inculpatæ progressio, tuarum-„que rerum omnium concinnatus ordo: „cui et omne, quod in tuo loco, ut dici „solet, ac fano est positum, refers acce-„ptum. Omnis profecto nostræ vitæ fun-„ctio, sequestrata vivendi formula, manca „est et perturbata, et nobis ipsis denique tædio

„tædio futura. Si quis enim sese philo-„sophiæ decretis assiduum reddat, aut se „eloquentiæ antiquæ mancipet perpetim, „aut religioni demum nostræ incubuerit, „et ratione præpostera uteretur, incassum „laborasse, atque rem actam egisse con-„vincitur. Proinde ut ego e regia via in „compendiariam regrediar, te hortor, quo „hanc sacerdotum institutionem obviis ul-„nis suscipias, non quod tu indigeas, „qui jam pridem sine cortice perbelle na-„tare potuisti, sed ut tui gregis homini-„bus impertire volueris, semperque te „hujusce libelli patronum exhibeas, qui „tametsi elaboratæ elegantiæ stilum mi-„nime refert, certo tamen castam vete-„rum eruditionem nec celat. Vale ex „Basilea pancratice mense Julio, Anno „Domini MDXIV. „

Prodiit illud Parochiale ibidem ex officina Michaelis Furteri. Basileæ igitur Musarum castra tum sequebatur NESENVS, simulque correctoris in officinis typographicis munus obiisse videtur. Provocat Michael MAITTAIRE (e) ad epistolam Beati Rhenani ad Erasmum A. 1515. d. 17.

(e) Annal. Typograph. Tom. II. Part. I. p. 25.

d. 17. Aprilis Basileæ exaratam, in qua NESENI in recognoscendo diligentiam et non obesam in olfaciendis erratis narem laudat, eumque proin iis, qui prælo Frobeniano castigando aliquando præerant, annumerare haud dubitat. Magni faciebat Erasmum, fulgidum illud sui ævi lumen, ab eo vicissim tenerrime deamatus. Hinc ERASMVS eum inter Guilielmos sui studiosissimos retulit, ita ad Guil. BVDÆVM Antwerpiæ A. 1516. IX. Cal. Mart. scribens (f) *Est Basileæ Guilielmus NESENVS, optimarum literarum ardentissimus consectator, mihi sic unice deditus, ut Pyladem meum appellare jure optimo possim. Is nihil continetur, quodvis etiam capitis periculum adire pro suo Erasmo.* Publicum prolixi in eum affectus testimonium dedit Erasmus, ipsi alteram editionem commentariorum (g) de duplici copia verborum ac rerum, quæ A. 1517. e prælo Frobeniano Basileæ in 4. in

(f) Epistolar. Lib. I. p. 42. edit. Basil. A. 1558.

(g) Accesserunt de ratione studii et pueris instituendis commentariolus, ac de laudibus literariæ societatis, reipubl. et magistratuum Vrbis Argentinæ epistola.

4. in lucem exiit, dedicans. En tibi epistolam illam nuncupatoriam.

ERASMVS Roterodamus
Guilielmo NESENO Nastatensi suo
S. P. D.

„Sive tu isthuc judicio facis, optime „NESENE, sive studio quodam amoris „erga me tui, certe de Copia commen„tariolos, antehac ἐ πάνυ ἐραςμίυς, Eras„mo commendas, dum illos sic laudibus „vehis, sic ediscis, sic tuis prælegis, ut „magis jam tui sint usucapione, quam „mei, qui genuerim. Eos igitur ita, ut „volebas, recognovi inter navigandum, „ne vel hoc temporis mihi prorsus pe„riret a studiis. Tuæ partes erunt cu„rare, ut Frobenianis formulis majuscu„lis quam emendatissime rursus exeant „in publicum, quo hæc sane placeant, si „eruditione parum commendantur lectori. „Bene vale, charissime NESENE. Ant„werpiæ, Nonis Sept. Anno a Christo „nato MDXVI.„ Præterea in amicitiæ haud intermorituræ pignus NESENO ERAS-

ERASMVS calamum suum donavit, adjecto epigrammate, (h) quo ita illum sermocinantem inducit:

Tantillus calamus tot, tanta negotia scripsi
Solus, et articulis ductus Erasmiacis.
Ediderat Nilus, dederat REVCHLINVS ERASMO,
Nunc rude donatum me Guilielmus habet.
Isque sacrum Musis servat, Phoeboque dicatum,
Æternæ charum pignus amicitiæ.
Ne peream obscurus, per quem tot nomina noscet
Posteritas, longo nunquam abolenda die.

A. MDXVII. ut nova insigni doctrinæ jam partæ incrementa accederent, Lutetiam Parisiorum abiit, quo eum maximæ eruditionis viri Guil. BVDÆVS, Jac. FABER Stapulensis, Cyprianus TALEVS, Nicol. BERALDVS aliique alliciebant. Binas hinc ab eo ad Udalricum ZWINGLIVM, celeberrimum illum Helvetiæ Reformatorem, ipsi amicissimum, scriptas episto-

(h) vid. ERASMI Epigrammata cum Thomæ MORI Utopia et Epigrammatibus Basileæ apud Jo. Frobenium A. 1518. in 4. typis exscripta, p. 355.

epistolas nobis conservavit Jo. Henricus HOTTINGERVS in Historia ecclesiastica novi Testam. saeculi XVI. (i) quarum unam, cum liber iste hodie non in omnium manibus versetur, ob sermonis elegantiam ac rerum varietatem hic integram exhibere visum est.

„Quod me felicem praedicas, cui con-
„tigerit sub Cypriano (k) viro non lite-
„ris solum ac morum integritate, verum
„etiam rara prudentia, miroque rerum
„usu insigni, mereri, non mea magis est
„felicitas, eruditissime Udalrice, quam
„meliorum literarum omnium, quibus
„tantus effulserit patronus, ut eas a situ
„et Barbaris toto terrarum orbe enixissi-
„me, ne effloreſcant, resistentibus, in pri-
stinam

(i) Part. II. p. 589. sqq.
(k) HOTTINGERVS l. c. p. 591. Cyprianum hunc Venetum quendam doctrina magis, quam celebritate nominis clarum fuisse suspicatur. Sed ex epistola Erasmi ad Nesenum A. 1518. XV. Cal. Febr. Lovanii exarata, quae extat Epistolar. ejus Lib. X. f. 370. apparet, indicari hoc nomine Cyprianum Taleum, origine Gallum. En tibi ejus

„ſtinam afferat libertatem. Nam talis eſt, „ut, quod ſentio, tribus verbis dicam, „qualem alterum vix habet Gallia, etiam- „ſi Budæus omnium doctiorum calculis „primas teneat. Siquidem Cyprianus nullum „hactenus edidit ingenii ſui ſpecimen, „ob id quoque famæ non perinde cele- „bris. Et hos ego vere doctos exiſtimo, „non qui tribus mendis in authore quo- „piam haud dilutæ authoritatis animad- „verſis, ſoleant ſuum erga ſtudioſos qua- „ſi exprobrare beneficium, ac ſic geſtire, „ſic triumphare, tanquam denuo Babylo- „na cœperint, ſed qui cum divina erudi- „tione, mores conjunxerint pares, et, „quod facio plurimi, omni faſtus nota „careant, qui, ſi uſpiam, certe Cyprianus „meus eſt. Jam, quod ſcribis, Te ab il- „lorum deſciviſſe opinione, qui fædus cum

---

verba: *O te terque quaterque felicem, optime Neſene, cui contigerit, ſub Cypriano Taleo, viro non literis ſolum ac morum integritate, verum etiam rara prudentia, miroque rerum uſu inſigni, merere Muſis, cui cum Græcitas etiam acceſſerit, non video, quid hominis dotibus poſſit adjungi. Nam in omnibus honeſtis diſciplinis ille jam olim ſic eſt abſolutus, citra profeſſionis ſupercilium, ut non videam, quem cum eo conferre queam.*

„cum Gallis vestris sperant confore, lau-
„do plurimum. Sed vide, ornatissime
„Udalrice, ne Te quoque, sicut plerosque
„Tuæ conditionis Helvetiorum, pecunia
„tandem transversum rapiat, ac Gallo-
„Helvetii ad suas Te traducant partes:
„Quem non ista Tua facundia adeo ex-
„quisita, popularis tamen, exoculaverit?
„Quem non a recto detorserit, etiam mu-
„nitium? Sed aliud longe nobis Tuus pol-
„licetur animus, nullis hactenus preci-
„bus, nullis minis et nullo (munerum)
„respectu, ut illis acquiesceret, expugna-
„bilis. Aliud promittit tua humanitas,
„quæ possit et velit prodesse, etiam im-
„merenti. Ad hæc nimirum intelligis
„multo melius consultum Helvetiis, si bel-
„lis istis insanis renunciantes domi agros
„colerent, id quod illis tum laudis, tum
„fructus plus apud exteros conciliaret.
„Sed ut tibi quoque remittam literas non
„usque quaque novarum rerum immu-
„nes, accipe, quem apud nos tumultum
„hisce diebus proximis Pragmaticæ San-
„ctionis concitarit abrogatio. Rex Gal-
„liarum, quo simili arte (sic quasi per
„transennam fore perspicio) Neapolim
„Hispanis subductam, regno suo adjiciat,
„Pontifici Romano efflictim sic petenti,
„Pragmaticam sanctionem obtulit; quam
„Leo non gravatim recepit, et cum istius

„edicti tempus appeteret divulgandi, res
„per publicum urbis Lutetiæ officialem
„promulgabatur: Concurrerunt studiosi
„(ut fit) aliquot, quid præconis verba sibi
„velint auscultaturi, et simulatque suæ
„sanctionis acceperunt interitum, eductis
„gladiis præconem impetebant, ipse vero
„hoc insolenti vultu admodum territus,
„ex asina delapsus fuga vitæ consuluit;
„asina, quæ tantum cursu non poterat,
„nec consilium latibula prospiciendi
„aderat, totam belli calamitatem sola su-
„stinuit. Siquidem simile accidit, quod
„in passionis Historia Malcho cuidam ac-
„cidisse dicitur. Postridie, collectis satel-
„litibus, eandem tragœdiam excitaturis,
„obvii facti sunt ex studiosis non ita
„multi, et tamen ad pugnam nec illo
„die ventum est, retrocedentibus Mini-
„stris publicis, quorum erant numero,
„quantum conjicere potui, fere quadrin-
„genti. Sed illo ipso die Regis nomine
„demandabant civibus universis, quo po-
„stero die, circa horam diei decimam, ar-
„mis bene instructi pugnæ adessent fu-
„turæ: Nam jam tum ad periculum ver-
„gere videbatur, confluxerunt ad octo
„ferme hominum millia, atque sic erat
„negotii facies, ut ex hoc putarem con-
„tore propemodum, ut funditus cuncta
„Collegia subverterentur; sed longe ipse
belli

„belli eventus meam vicit opinio„nem. Fingebam in animo cogredien„tium utrinque furorem, pugnantium „clamorem, et denique haſtas, gladios, „pugiones, ſanguine humano, atque „adeo civili reſperſos, fædum mo„rientium adſpectum, et reliquam „bellantium inſaniam; ſed quid ac„ciderit, parumper auſculta. Jam inſtru„cta erat in foro civium acies, bombar„dæ ſuis orbibus refertæ, & procedebat „Gallicæ juventutis peditatus, intermix„tis in loco anteſignanis ducibus: at poſt„quam ad id loci ventum erat, ubi ma„gna periculi pars imminere credebatur, „ex univerſa turba, robore præ aliis in„ſignes, in primam collocabant aciem, „et horum quoque ora vidiſſes præ me„tu lurida, tanquam ſibi eſſet maxime pe„reundum, ſi exercitus vires in diſcrimen „adducerentur: Et forte accidit, cum Col„legia præterirent, (juſſu Rectoris omnia „obſtructa erant) tegula quædam e recto „turbine excuſſa decidit; milites autem „putantes, lapides ex feneſtris actos, ſe „ſe in fugam conjecerunt. Nec ſatis „eorum timiditati, turpiter fugiſſe, etſi „non erat extra ſortem tegulam, quæ „tantis ſe militibus auderet objicere, Deo„rum inſuper phana, quo tutius fuga ſi„bi conſulerent, petita ſunt, inter quos

 non

„rum aures exonerare, in quorum calen-„darium Te, eximiis animi dotibus or-„natum, quam sanctissime retuli, ut nul-„lis tempestatibus inde sis evellendus. „Vale basilice, præclarissime Udalrice, „et me Paulo Bombasio, quem virum „Tecum versari ais, omnium Italorum „in literis principi diligenter commenda. „Saluta meis verbis quoque Henricum „Glareanum, Poetam, strenuissimum lite-„rarum instauratorem. Parisiis V. Cal. „Majas.„

Non vero discentium duntaxat subsellia ibi occupavit NESENVS, sed in suo etiam contubernio habuit florentissimos adolescentes, suæ fidei ac institutioni creditos, Nicolaum et Cratonem fratres Stalbergerios, patritios Francofurtanos, et Ludovicum Carinum, Lucernatem (l).

(l) Beatus Rhenanus Familiarium colloquiorum Formulas Erasmi Roter. Basileæ A. 1518. typis Frobenianis in 8. editas illis dedicavit, in epistola nuncupatoria Guil. Nesenum, virum non minus integrum, quam eruditum, eorum præceptorem nominans.

Lutetia, eximiis variæ doctrinæ opibus ingenti solertia conquisitis, A. MDXIIX. concessit Lovanium, in Collegium Buslidianum, commendante Erasmo, cooptatus, ut una cum aliis viris præstantibus studia juvenum, Musis sacratorum, formaret. De illustri illo Collegio ex Beati Rhenani epistola, ad ipsum Augustissimum Imp. Carolum V. Erasmi operibus junctim Basileæ A. MDXL. evulgatis præfixa, (m) hæc decerpere juvat: *Omnium maximum subsidium* (literis) *attulit Trilingue Collegium illud in Academia Lovaniensi institutum, suadente Erasmo. Magnas opes moriens reliquerat Ariensis Præpositus Hieronymus BUSLIDIUS, Francisci Vesontini quondam Archiepiscopi, in Hispania peregre extincti, frater, quas cum ille studiosorum usibus destinasset, ERASMUS testamentariis autor fuit, ut Atheneum Lovanii constituerent, in quo stipendiis ordinatis tres linguæ publice docerentur, e quo tanquam ex equo Trojano innumeri cognitione linguarum instructi prodiere hactenus, et faventibus superis deinceps sunt prodituri: quo universa ditio tua, Cæsar invictissime, nihil habet præclarius. Ea res Franciscum quoque Galliarum Regem movit, ut ad similis collegii Lutetiæ Parisiorum institutionem animum adjiceret, Erasmum per literas evo-*

(m) vid. Epistolar. Erasmi Lib. XI. f. 393.

evocando, cujus consilio omnia disponerentur. Et jam regium diploma acceperat ad itineris securitatem, sed intervenere causae, quae profectionem impedirent. Instituti tamen et illic Professores. Itaque in confesso est, literarum in his provinciis incrementa potissimum Erasmo deberi.

Spartam hanc, quam nactus erat, strenue ornavit optimus NESENVS, sed hoc ipso irritavit crabrones, concitavitque in se bilem ac rabiem elegantioris literaturae hostium. Quis credat, insipidos ignorantiae fratres tolerare haud potuisse, quod juvenibus studiosis Geographiam Pomponii Melae enarrare voluerit? At hoc affirmat ERASMVS, testis ocularis, in epistola ad Ludovicum VIVEM Lovanio A. 1519. missa (n): *Non aliud agebatur tanto rerum molimine, quem ne quis politioribus literis adjuvaret Academiae studia, praesertim quum et honestissima essent, quae docebantur, et* hh 5 *Profes-*

(n) vid. Epistolar. Lib. XVII. f. 541. Idem ad eundem in alia epistola, eodem anno Lovanio data: *Hic Guilielmo NESENO, Pomponii Melae Geographiam profiteri gratis aggresso, nihilo remissioribus studiis obstiterunt, quam si parasset, totam hanc urbem incendio miscere.* vid l. c. Lib. XXI. p. 787.

Professores tam sanctis essent moribus, et tam caste profiterentur, ut aliquoties in concionibus audiantur minus ad bonos mores facientia. Lutetiæ licuit, Faustum profiteri quoslibet Poetas usque ad nænias Priapejas, idque more, ne quid aliud dicam, Faustino. Lovanii non licuit NESENO, enarrare Geographiam Pomponii Melæ.

Idem ad Jo. Robinum Decanum Mechlinienſem Lovanii Calend. Decembr. A. 1519. hæc inter cætera perſcripſit (o): *Inhibuerunt NESENVM, aggressum Geographiam Pomponii Melæ. Qui si domi suæ lupanar aliquod instituisset, tolerandus erat.*

Ferociſſimus facile inter juratos Eraſmi bonarumque literarum adverſarios Lovanii erat Nicolaus Egmondanus, Monachus Carmelita, de quo hæc habet in epiſtola ad Alexandrum Comitis Naſſov. Secretarium (p): *Lovanii Carmelita quidam Nicolaus Egmondanus in ordinaria lectione theologica dixit, Paulum ex persecutore ecclesiæ factum bonum virum: precandum, ut idem eveniat in Luthero et Erasmo. Altera lectione dixit,*

(o) vid. Epiſt. Lib. XIII. f. 436.
(p) vid. Epiſtolas Eraſmi a Petro Scriverio Lugd. Bat. A. 1615. in forma minori publicatas. p. 140.

dixit, esse dissidium inter Erasmum et Jacobum Fabrum, nec mirum inquit, nunquam pax est inter hæreticos. Et hic est primus hujus Academiæ Theologus, homo stultus ac furiosus, ac mire pertinax. E pluribus pauca narravi, e quibus licet aliorum facere conjecturam. Haud igitur adeo mirum est, hujus aliorumque ejusdem furfuris hominum indignationem in se concitasse etiam NESENVM, qui ERASMVM colebat, LVTHERIque causæ favebat, ac Scholasticorum tricas aversabatur. Aut egregie fallor, aut NESENO adscribenda venit aculeatissima illa *Epistola de Magistris Nostris Lovaniensibus, quot et quales sint, quibus debemus magistralem illam damnationem Lutherianam,* in qua Joannem Briardum Atensem, Jacobum Latomum, Ruardum Encusanum, et præsertim Nicol. Egmondanum acri sale perfricat, quam A. 1520. in 4. cum Vita S. Nicolai (Egmondani scil.) sive stultitiæ exemplari divulgatam ob raritatem olim Amœnitat. liter. Tom. I. p. 248. sqq. inserui. Ejus inscriptio hæc est: *G. N. N. D. Udalrico ZUINGLIO Helvetio, apud Tigurinos Concionatori eruditissimo S. D.* Quid vero obstat, quo minus sub literis illis G. N. N. Guilielmum NESENVM Nastadiensem, ZWINGLIO intima familiaritate conjunctum, latere voluisse asseramus?

Facile

Facile hinc hariolari licet caussam, quare plurima salute Lovanio dicta A. 1520. Basileam remigraverit Noster, anno sequenti Francofurtum ad Mœnum ad bonarum artium palæstram instruendam vocari se passus, haud dubie consilio et favore Nicolai Stalbergerii, Patritii Francofurtensis inter primarios, cujus filios ejus disciplinæ commissos fuisse supra diximus. Quam præclare hanc provinciam administraverit, quamque multum ad repurgandam a pristinis sordibus inclytæ illius Reip. ecclesiam contulerit, non est, quod copiose exponamus, cum id abunde fecerit b. Jo. Balth. RITTERVS in eximio Commentario de historia Reformationis Ecclesiæ Francofurtanæ (q) quo lectores nostros plura nosse cupientes remittimus.

Tandem amor, quo ferebatur in LVTHERVM et MELANCHTHONEM, Duumviros sine pari, NESENVM A. MDXXIII. Wittebergam traxit, ubi, ut aliquando rei publicæ inservire posset, jurisprudentiæ operam navavit. Cognovi id ex ejus literis, eo anno die Veneris

(q) *Evangelisches Denckmahl der Stadt Franckfurth am Mayn.* Cap. II. p. 31. sqq.

ris post Pentec. Witteberga ad Georgium SPALATINVM datis, quas ex Jo. Frid. HEKELII Manipulo primo Epistolarum singularium, rarius obvio, p. 76. huc transferre lubet.

„Quod hactenus non scripserim, Vir „humanissime, Erasmus in causa fuit. Is „ad me scripsit epistolam de rebus fami„liaribus bene longam. Hanc dum ad „te, ut pollicebar, mittere paro, super„venit Operum Erasmi Catalogus, in quo „orbi quoque publicata vidi, quæ ad me „peculiariter scripta putabam. Proinde „ex illo Erasmi animum discere te ma„lebam, quam ex epistola. De tribus il„lis Dialogis, quos nobis pollicetur, pla„ne somnium. Nam ad hunc modum, „ut nosti, fucum facit imperitis juxta et „scelerosis Sophistis. Nihil est, quod ab „Erasmo metuamus. Melior est quies, „quam Viro sancto negotium facessere „velle, et factio hæc firmior est, quam „quod illius facundiæ viribus labefactari „possit. Tu vale optime, mi Spalatine, „et literas, quod facis, fortiter tuere. „Ipse heic legibus operam do, facturus „certe aliquando in hac re aliquid, si Pro„fessores nostri textum, ut vocant, ex„plicarent, et non insulsissimis istis glossis „excutiendis tempus tererent. Vix in

bien-

„biennio viginti versus, si ad hunc mo-
„dum perrexerint, interpretabuntur, qui
„mihi tanti non erunt, ut in illorum gra-
„tiam heic tam diu hærere velim. Hæc,
„ut spero, præsens dicam omnia tibi, et
„quid tu in hac re consilii dabis, avidis-
„sime accipiam. „ MELANCHTHON eum, cujus familiaritate jucundissime utebatur, teste Joach. CAMERARIO (r), propter ingenii bonitatem, prudentiam in judicando, doctrinam, multarum rerum cognitionem atque experientiam et magni faciebat, et valde diligebat. In amicitiæ τεκμήριον donavit ipsum, ERASMI exemplo, calamo, cui hoc elegans epigramma adjecit (s):

Hunc etiam calamum tibi, docte NESENE, PHILIPPVS
Sinceræ mittit pignus amicitiæ.
Non tamen hic sese confert cum munere ERASMI,
Sed calamo longe cedit Erasmiaco.

Frigi-

(r) in Vita Phil. MELANCHTHONIS p. 90. edit. Voegelin.

(s) vid. Phil. MELANCHTHONIS Epigrammata, ab Hilbrando Grathusio Wittebergæ A. 1560. in 8. edita, plag. I. 4.

Frigida cœnoso tulit hanc Saxonia stagno,
In Nili ripis editus ille fuit.
Lethæum excussit mundo tandem ille veternum,
Pingebat domini cum monumenta sui.
Aurea Mercurii non tantum virga meretur,
Illa sibi quantum laudis arundo feret.
Hos tantum versus mea pinxit arundo, placere
Quantum ipsos versus, hanc etiam opto tibi.

LVTHERO etiam fuit ob virtutes et ingenii excellentiam longe charissimus, a quo in tesseram amoris calicem illum crystallinum, quem hodienum illustris gens Neseniana memoriæ causa Zittaviæ asservat, a Pitschmanno l. c. p. 47. sqq. luculenter descriptum, ac in tabula ænea repræsentatum accepit. Vterque igitur extremo percussus fuit dolore, cum ille A. MDXXIV. animi gratia lintre piscatoria trajecturus Albim, infelici casu in amne suffocaretur. Pie eum ad mortem, licet repentinam, præparatum fuisse, ex testimonio MELANCHTHONIS colligere licet. En ejus verba ex programmate, nomine Rectoris Academiæ Witteb. A. 1557. d. 16. Jan. Melchioris Fasolti scripto (t): *Meminimus virum excellentem ingenio*

(t) vid. Scriptorum publice propositorum a Gu-

genio et virtute Guilielmum NESENIVM, quo die vesperi in Albi mortuus est, totum fere diem consumere iu disputatione plena pietatis, de discrimine doctrinæ evangelicæ et philosophiæ, et de cœlestis ecclesiæ studiis, luce et lætitia, de qua filius Dei testimonium ostendit reviviscens ex morte, et revocato in vitam magno agmine patrum. Plenæ sunt epistolæ MELANCHTHONIS hanc in rem ad amicos scriptæ affectus et mœroris. Ita videlicet ille ad Joachimum CAMERARIVM, NESENI amantissimum (u): *Ego mire afficior amicorum rebus cum secundis, tum adversis. Nam mihi crede, miserabile fatum Neseni ita me nonnunquam commovet, ut perhorrescam toto corpore.* Ad Hieronymum BAVMGARTNERVM (x): *Non dubito, quin familiariter feras* NESENI *interitum. Is nos ita cruciavit* αὐτόπτας, *ut vix videatur accidere potuisse quidquam acerbius. At tamen tale est seculum, ut pene in lucro deputandum sit, si contigerit citius hinc discedere.* Nos

---

a Gubernatoribus studiorum in Academia Witteb. Tom. III. p. 50. b.

(u) vid. Epistolas Phil. MELANCHTHONIS ad Joach. CAMERARIVM. p. 10.

(x) vid. Ph. MELANCHTHONIS Epistolarum Librum, Lugd. Bal. A. 1647. a Frider. SPANHEMIO divulgatum, p. 46.

Nos parentavimus Mosellano et illi. Mitto versiculos, ut te quoque invitem ad scribendum. Accipe hic illos versiculos, Epithaphium Neseni continentes (y):

Ὡς τὸ βροτῶν γένος ἐς' ἀνεμώλιον, ἠδ',
ἀμενηνὸν
Ὦ νέοι, ὡς αἰὼν πᾶσιν ἄπιςος ἔνι.
Ἀπροϊδὴς θάνατος Νέσσηνον ἔμαρψε
νέονπερ
Ἀξένον ὂν συγεεῦ Ἄλβιος οἰδμ' ὄλεσε.

Quam lugubres fuerint Philippi literæ, propterea ad Eobanum Hessum exaratæ, ex hujus responso apparet, quod ita se habet (z): *Quantopere te, mi Philippe, acerbissimus casus amisso tali amico afflixerit, facile potui ex literis cognoscere. Me quantum de statu mentis dejecerit, ii sciunt, in quorum conspectu tuæ mihi reddebantur, cum nec gemitus primo, postremo nec lacrimas continerem. Ita dolebam duplici nomine doleoque; nec enim do-*

(y) vid. MELANCHTH. Epigrammata, plag. L. 7. ubi etiam Epitaphium Græcum Petri MOSELLANI extſtat.

(z) vid. Libellum alterum, Epistolas complectentem Eobani Hessi et aliorum, quem Joach. Camerarius edidit A. 1557. in 8. Lipsiæ, plag. B. 7. b.

luisse semel, ut ille ait, satis est, et tuam vicem, quem ut frangi non posse satis scio, sic turbari fortunæ reflatibus omnium minime velim, et amici miserabilem exitum. Cujus, mi Philippe, mortem indignam si ad lyram deploremus, quid, oro te, nisi quod dolorem alioqui plus satis hærentem renovamus, proficimus? Tamen quia tu aliqua ducis hujusmodi esse solatia, parva luctus ingentis, parebimus, dabimusque operam, ut, si quid unquam nostri futurum immortale est, et ille sic de nobis meritus, dum viveret, extinctus quoque celebretur. Scripsimus Epitaphia quidem nuper, quæ ideo non mittimus, quin moliri majora fert animus, absolutis paucis, quæ nunc in manu sunt. Vtinam, Philippe, Nesenus viveret, et ego Poeta non essem! Libenter hoc, id est, dimidium mei, cum illius vita commutarem. Tuum animum laudo, qui unicæ et ob id charissimæ filiolæ mortem æquiore animo laturum fuisse scribis. Oro te, ne nimium dejiciare animo, virum esse te, et non quemvis e plebe virum memineris. Habet suos lusus fortuna; hos spectemus oportet, quando illa non mutat, nobis obsequendum est. Certe, utcunque sese habeat, magnum naufragium fecimus. Non possum me continere, quin fluvio isti male precer: nobis pœnas Albi dabis, neque unquam deinceps quieto amne flues. Ineptire me vides, sed ex animo. Ignosces igitur poetico capiti, ingenio semper lubrico, nec unquam sibi satis constanti. Plura ad te brevi, et epistolas et libellos mittemus.

Ipsæ

Ipſæ vero Muſæ alumno ſuo parentaſſe viſæ ſunt, interpretibus potiſſimum laudato Eobano Heſſo (a) et Jac. Micyllo(b) quorum epicedia NESENI nomen immortalitati conſecrarunt. Ex utroque dabimus quædam apoſpaſmatia. Eobanus Heſſus ita inter cætera ad defunctum:

Tu modo virtutum florebas divite cultu,
Et fuit ingenii copia plena tui.
Jam tua Palladias clariſſima fama per arteis,
Utraque jam fuerat cognita lingua tibi.
Quid memorem ſacri ſpatioſa volumina juris,
Ingenio longe facta minore tuo?
Omnia divinæ tenuiſti oracula legis,
Heu nihil ignotum, nil ſupereſſe tibi,
Quam ſubito indigna flos concidit iſta ruina,
Et veris medias aruit inter opes?
Nil tibi melliſluæ comis facundia linguæ (c)
Profuit, aut caſtis gratia plena jocis.

ii 2 *Quid*

(a) in Operum poeticorum farragine I. p. 147. b. ſqq.
(b) in Sylvarum libro I. p. 1. ſqq.
(c) Conradus MVTIANVS Rufus, Canonicus quondam Gothanus, cum Melanchthon, Joach. Camerario et Wilh. Neſeno comitatus A. 1524. in itinere in patriam ſuſcepto eum Gothæ inviſiſſet

Quid juvat humanis etiam nunc fidere rebus,
Quas tam non ſtabiles qualibet aura movet?
Jam bene compoſitis potuiſti vivere curis,
Ætatis firmum jam tibi robur erat.
Vix jam tranſieras ſexti confinia luſtri,
Et poteras animi dotibus eſſe ſenex etc.

Hæc poſtrema cum anno nativitatis 1493. ipſi a Pitſchmanno aſſignato egregie conveniunt. Extinctus igitur in undis eſt NESENVS anno ætatis trigeſimo primo. MICYLLVS vero illum præter alia ita queribunda voce ſermocinantem inducit:

Ergo ego nunc jaceo fulva projectus arena,
Albiacæ noſtra morte piantur aquæ.

Quid

ſiſſet, poſt illorum reditum in literis ad Camerarium his verbis Noſtrum veluti depinxit: NESENO *non eſſe comior comitas ipſa poſſit.* vid. Tertium Libellum Epiſtolarum Eob. Heſſi et aliorum a Camerario Lipſiæ A. 1561. in 8. publicatum, plag. D. 7. b. et Wilh. Ern. TENZELII Supplementum Hiſtoriæ Gothanæ primum. Sect. II. p. 60.

Quid nunc ingenium, Musasque habuisse benignas,
Quid varias artes edidicisse juvat?
Quid nunc externas toties volitasse per oras,
Quid juvat in duro secubuisse solo?
Ecce tot insomnes noctes, tantosque labores
Obruit Albiaci vilis arena soli.
Et quibus ipse frui venturos debui in annos,
Vnica momento sustulit hora brevi. etc.

Patrem autem illi supervixisse, hæc documento sunt:

Quis tibi nunc, longæve pater, quis nuncius ibit?
Unde tua hanc noscet cana senecta necem?
Non mea jam fortuna mihi, non vana laborum
Spes dolet, aut studii præmia nulla mei.
Cuncta ea cum rapta referat mors dura juventa,
Insultetque umbris, si valet, illa meis.
Tu mihi, chare pater, tu nostri summa doloris,
Te mala longævum tanta videre senem etc.

Suspicatur Pitschmannus l. c. p. 23. sq. Michaelem Nesenum, commendante Luthero A. 1526. Isernhagium ad verbi divini ministerium vocatum, de quo ac ejus posteris RETHMEYERVS in Historia ecclesiastica Brunsvicensi p. 447. sqq.

 pluri-

pluribus agit, fuiſſe Wilhelmi fratrem. MICYLLVS vero ei reclamare videtur. Vnius enim ille tantum fratris meminit, infelix Noſtri fatum deplorantis, qui fuit Conradus.

Non ego te poſthac dulcis germane videbo,
O mihi Theſæa frater amate fide.
Et nunc ſola mei reſtabit corporis umbra,
Quæ volet ante oculos pulverulenta tuos.
Ergo mihi germane vale, dulcesque valete,
Quos colui ſocios, dum mea vita fuit.
Et vos Aoniæ quondam mea numina Muſæ,
Unicaque ingenii cura valete mei.

ERASMVS, ſicuti antea NESENVM, inter intimos ſuos referebat amicos, ac quavis data occaſione eximiis laudibus proſequebatur, ita poſt ejus mortem animum plane averſum ab eo prodidit, præter rem ſuſpicatus, Lutherum ipſo impulſore ac paraſtata ſcripſiſſe adverſus ſe librum de ſervo arbitrio. Odii hujus ſui in inſontem documenta dedit in Hyperaſpiſte Diatribæ ſuæ de libero arbitrio, ubi eum Wilheyli nomine plus ſemel acriter pungit. Præterea, quod adhuc diſſimulaverat, malæ eum fidei in recognoſcendis operibus Senecæ, in officina Frobeniana A. 1515. excuſis, inſimulavit. Huc ſpectant, quæ A. 1525. d. 25. Dec. ad

ad Robertum Aldrisium Anglum (d) scripsit: *In Collegio regali sunt opera Senecæ descripta in membranis. Ex his multa subnotaram in Codice meo. Editionem commendaram Germano cuidam, quem habebam pro amico fidissimo. Is absente me pessima fide se gessit in excudendo opere. Et ne deprehenderetur, optimam exemplaris partem sustulit. Hoc dedecus mihi sarciendum est.* Lepida sunt, quæ Viglius ab Aytta ZVICHEMVS hac de re ad Georgium Hermannum perscripsit, quæ ex opere in oris nostris infrequenti (e) huc transferre visum est. „Ludovicus Cari„nus erat Helvetius natione, ac patria „Lucernas, ubi olim obtinuit canonica„tum. Sed quoniam visus est novis se„ctis, quas illa Resp. non admittit, ad„dictior esse, audivi hoc beneficio eum „fuisse privatum. Erasmo olim fuit cha„rus, sed sex sunt anni, quod gravissima „intercessit inimicitia. Causam eam esse „intellexi, quod Carinus, Neseno, cujus

(d) vid. Epistolar. Lib. XXI. p. 790. add. præfationem in Senecam, A. 1529. denuo editum, ac Petro Cracoviensi inscriptum, Lib. XXVIII. p. 1182.

(e) Corn. Pauli Hoynck van PAPEN-DRECHT Analectis Belgicis, Tom. II. Part. I. p. 228. sq.

„ipſe fuerat diſcipulus, graviter ferebat „ab Eraſmo nonnihil culpæ aſſcribi circa Senecæ emendationem, quam Neſenus ab Eraſmo commiſſam indiligentius „præſtitiſſe dicebatur. Tantula autem „res ita Carinum commovit, ut ubique „Eraſmo obloqueretur. Ac ego aliquando Dolæ nonnullam habens cum Carino conſuetudinem, hanc ejus obtrectationem non ſatis ſane æquis auribus „audivi. Poſtea vero inimicitia ea ſive „ſimultas in apertum erupit odium. „Audi, ſi lubet, rem ridiculam. Erat „Baſileæ in officina Frobeniana quidam, „cui Eraſmus nomen indidit *Polyphemus*. „Hic aliquando perferre libros ſolet iis, „quibus erant ab illo dedicati. Ac poſtea, „neſcio an ex Eraſmi commendatione, an „quo fretus ſuffragio, factus eſt regius „ſatelles. Arbitror te illum in Ferdinandi aula vidiſſe. Erat homo prælongus, „loquax, mendax, bibax, pugnax, et quem „ipſe Eraſmus in colloquiis eleganter depinxit. Audio, eum tandem laqueo vitam finiiſſe in Moravia, neſcio an Polonia „in Epiſcopi cujusdam aula. Vt redeam „ad rem: Hoc propter negotium aliquod „ab Eraſmo Dolam dimiſſo, forte tum Carinus in vicina civitate Veſontione moram trahebat. Compotatum eſt, uti ſolet fieri ab conterraneis, ſi quando occurrunt

„runt in aliena et peregrina regione. Forte „ubi Carinus cœpisset nescio quæ adver„sus Erasmum dicere, ac Polyphemus, qua„si quidam hyperaspistes Erasmi, mero in„calescens indigne id ferret, cœpit Cari„no cingulum suum pro laqueo minari. „Carinus ad prætorem urbis accurrit; Po„lyphemus fugit Basileam, insecutusque „eum Carinus cœpit nonnullam velle ad„versus Erasmum litem intendere: sed „Polyphemo ablegato res fuit sopita. Sed „tamen nondum eum rediisse in Erasmi „gratiam scio. Est tamen ipse Ludovicus „Carinus non indoctus utriusque literatu„ræ etc. „

Tantum de Wilhelmo NESENO. Nunc pauca de Conrado fratre dicenda supersunt.

Versatur in manibus nostris Dialogus satyricus, eodem tempore in lucem emissus, quo fratris Epistola de Magistris nostris Lovaniensibus, supra memorata, prodiit. En tibi ejus titulum: Eruditi Adulescentis Chonradi Nastadiensis Germani Dialogus sane quam festivus bilinguium ac trilinguium, sive de funere Calliopes. Exactissime ad autoris archetypum recognitus in 8. In fine annus editionis MDXX. indicatur. Constat duabus pla-

gulis. Ex præfatione, quam heic exhibere juvat, apparet, Lutetiæ illum fuisse scriptum. Hæc autem est:

„Conradus Nastadiensis Germanus amico lectori S. Quoniam videbam, studiorum intentionem laxandam esse admixtis ludicris, et Lutetiæ receptum esse morem, ut his diebus, quæ nobis minantur proximam esse quadragesimam, juventus literatis jocis sese satis licenter exerceret, visum est et mihi, ex publico more ineptire, lusique dialogum bilinguium ac trilinguium, ad hujus ætatis statum alludens, sed ita leviter, ut ipse non possim instituti mei rationem reddere. Quisquis hæc leges, exporrige frontem, et faciem argumento temporeque dignam sume. Bene vale Lutetiæ, quinto Cal. Martias. „

Manus coæva exemplaris mei margini notulas allevit, quæ innuunt, eosdem Magistros nostros Lovanienses, quos frater in epistola perstrinxit, aceto satyrico in hocce dialogo perfundi. In Bibliotheca Conr. GESNERI per Josiam SIMLERVM aucta f. 144. edit. Tigur. A. 1574. hæc leguntur: *Conradus NESENVS scripsit dialogum quendam, cujus mentio fit inter libros Basiliensis officinæ Hervagii: Forte*

Guil.

Guil. *NESENVS.* Non ergo ipſum dialogum vidit Simlerus, alias Guilielmo eum tribuendum haud exiſtimaſſet. L. c. paulo ſuperius hæc exſtant: *Conradi Naſtadienſis de funere Calliopes.* Ignoravit itaque SIMLERVS, hanc ipſam illius dialogi eſſe inſcriptionem.

Huic Conrado NESENO, auctori generoſiſſimæ proſapiæ Neſenianæ Zittaviæ florentis, dedicavit A. 1551. Jodocus Willichius Eſajæ Heidenreichii Oeconomiam Chriſtianam de parentum et liberorum officio tractantem, quæ Francofurti ad Viadrum A. 1552. in 8. prodiit, eum LL. Lytham, Zittavienſium inter Elyſios Syndicum et Senatorem, Regique Bohemorum a conſiliis nuncupans.

CLVI.

D. VAL. ERN. LOESCHERVS. (*)

Ego vero tuum eccleſiam orbemque literatum demerendi ardorem veneror, nec dilau-

(*) Hæc epiſtola, qua literis b. VFFENBA-

dilaudare ſatis poſſum. Servet te Deus hoc animo, his viribus, tuasque impenſas ac labores gratioſe ac largiter penſet! De transmiſſis apographis publico et meo nomine gratias tibi ago. Patere, ut hujus Tuæ liberalitatis cauſa in recenſionibus noſtris publicis tibi alicubi agantur grates. Excerpta Warmundiana integra, ut miſeras, exſcribenda typis curavi, tuumque meo hac in re judicio antetuli. Exſpecto reliqua; perventum enim eſt ad pag. 276. et vox ultima erat *Evangelium*. De theſauro librario, ex Belgio qui tibi allatus eſt, totus gaudeo. Præſtolor recenſionem Codicum Biblicorum Germanicorum, gratiſſimam multis futuram, nec non apographa literarum a WISSOVATIO et STEGMANNO ad BOINEBVRGIVM ſcriptarum. Vtinam eſſet, quo demereri liberalitatem tuam poſſem! Reor autem, te divinitus ad inſtitutum Recenſionum noſtrarum juvandum excitari, Deumque remuneratorem tibi largiſſimum futu-

---

BACHII, in III. hujus collectionis parte p. 157. ſqq. exhibitis, Theologus hic, dum viveret, celeberrimus, reſpondit, typothetæ culpa ſuo loco neglecta fuit.

futurum plane ſpero. Dresdæ Kal. Oct. 1715.

CLVIII.

GEORGIVS CHRISTIANVS JOANNIS.

Opem tuam quin implorem, non poſſum, Vir Conſultiſſime! Sum nimirum in eo, ut de ſcriptoribus ad rem Palatinam facientibus ſchediaſma Parei hiſtoriæ nundinis auctumnalibus tandem aliquando proditura præfigam. Egi de iis usque huc non ſine cura. Quotquot enim indagare mihi licuit, congeſſi, et certas in claſſes diſpeſ ui. Nec quid porro ſtudii prætermittam in iis, qui nondum mihi noti ſunt, eruendis. Quare, cum vix dubitem, in vaſto, quod Lunigius nove *(in den Europ. Staats-Conſil.)* dedit, opere quædam reperiri, ad rem Palatinam ſpectantia, maximopere te rogatum velim, ut, ſi qua ibi habentur titulos, una cum numero tum libri, tum capitis, tum pag. meos in uſus benevole enotes, et proxime ad me

me mittas. Quo licet verecundiæ transiliam limites, et in te, tuaque ſtudia peccem, hoc confidentius tamen id abs te peto, quo minori labore ac negotio, indicis ope, te mihi commodare poteris. Si tua quoque inter κειμηλια, vel in publica Francofurtenſi quædam latent, quæ huc faciant, et illorum, quæſo, mihi facias notitiam. Guelſerbyti plura id genus reperiri, nullus dubito. Tranſiit enim in Auguſteam Freheri apparatus librarius; qui vir, ſi quis alius, rerum Palatinarum tum peritiſſimus fuit, tum ſtudioſiſſimus. Sed nemo illic loci eſt, quem norim. Tu, ſi ibidem habes amicos, hanc amico fac gratiam, et per eos id inquire. Nundinis inſtantibus Conradi Philoſophi et Aventini annales Schirenſes, quos typis recudendos dedi, publice prodibunt: utrum ad eruditorum exſpectationem, dies docebit. Tu, quod facis, mihi favere perge, et ex animi ſententia vale. Biponti prid. Non. April. an. cIↃIↃccxvi.



CLIX.

CLIX.

GEORGIO CHRISTIANO JOANNIS.

Cum hiſtoriæ literariæ ſtudium a teneris unguiculis impenſe amaverim, dicere ſatis nequeo, quantopere læter, quod rerum Palatinarum ſcriptores conlegere tecum conſtitueris. Eoque magis gaudeo, quod a te earum gnariſſimo ac ruſpatore ſtudioſiſſimo id fiat. In ea certe ſemper opinione fui, nunquam perfectam abſolutamque nobis ſperandam notitiam, niſi a viris doctis peritisque patrii ſcriptores ſingulari cura indagarentur. Quare tuum propoſitum omnes mecum laudabunt, quibus ſanum eſt ſinciput. Ea noſtri temporis eſt felicitas, ut rei literariæ ac librariæ ſtudium excolatur ſtrenue. Vt alia taceam, noviſſime HOPPIVS elegans de Polonicis Hiſtoricis ſchediasma Dugloſſio præfixit, ac MENCKENIVS Gallicum du FRESNOY de Hiſtoriæ ſcriptoribus opusculum præſtantiſſimum egregie auxit, quod ultimum te quoque inſpexiſſe nullus dubito. Meliori ego quidem ordine quoad alteram inprimis partem digeſtum velim, eo potiſſimum, quem Michael HERTZIVS in ſua

ſua bibliotheca Germanica ſequutus eſt. Quæ inter conſilia a LVNIGIO nuperrime edita Palatina occurrant, adjecta ſchedula docebit. Addidi qnoque publica alia in bibliotheca mea exſtitentia. Hiſtoricorum in illa nihil credo, quod te fugiat. Inter Freherianas exuvias egregia multa extare nullus tecum dubito, quare tui cauſa ad BVRCHARDVM meum ſcribam Guelferbytum, neſciò autem, an ob Bibliothecæ Præfecti moroſitatem, quam inſignem, cum ibi ante aliquot annos degerem, deprehendi atque expertus ſum, negotium ex voto ſucceſſurum ſit. Conradi et Aventini annales Schirenſes ambabus ab eruditis excipientur manibus. Ego quidem maximo illos videndi deſiderio flagro. SARTORII Ciſtertium nuperrime nactus ſum, quod ut inſpicere potuiſſes, peroptaſſem. BVRGMEISTERVS nuper ſpem fecerat adpiſcendi Chronicon Matthiæ Kemnatenſis, quod olim quoque deſideraveras, unacum alio Bavarico ac Magdeburgenſi Chronico, et quidem pretio æquiſſimo. Aſt cum Norimbergam ad Bibliopolam, apud quem latere ille dixerat, perſcriberem, non ſine dolore reſponſum tuli, viro cuidam nobili ceſſiſſe. Videbo tamen, num apographum extorquere poſſim. Cum Catalogo meorum MStorum conſcribendo ſtrenue inſudem, non dubito,

quin

quin plurima ad res Palatinas ſpectantia deprehenſurus ſim, de quibus te omnino edocebo. d. 18. April. 1716.

CLX.

GEORGIVS CHRISTIANVS JOANNIS.

Quam multa tibi jam debeam, tametſi probe intelligo; mihi tamen temperare non poſſum, quin tuam denuo expetam opem. Qua re ſi in te, tuaque pecco ſtudia, tibi ipſi adſcribes; qui manum, quam mihi tam ſæpe jam animo perbenevolo commodaſti, in reliquum etiam tempus liberaliter promiſiſti. Velim autem, ut verba Dodechini ad an. 1156. quibus de Conrado Sueviæ Duce, ab fratre Friderico Aenobarbo in locum Hermanni Palatini ad Rhenum ſuffecto agit, uſus in meos excerpas, et quam ociſſime ad me mittas. Tolnerus, Pfeffingerus, aliique iis nituntur: quos tamen dum Conradum in Comitiis Goslarienſibus dignitate iſta auctum fuiſſe ſcribunt,

 tuto

tuto iis niti dubito: quum an. 1156. Goslariæ Comitia habita fuiſſe, mihi nondum occurrerit; uti nec Heineccio occurriſſe palam eſt: qui tamen de rebus Goslarienſibus non ſine cura egit. Optarim igitur, ipſa illa Dodechini verba inſpicere. Quæ cum pauca ſint, hoc minus tibi ad excerpendum dabunt negotii. Dodechinum Tom. I. ſcriptor. a Piſtorio editorum ad calcem Mariani Scoti haberi, cum ipſe noris, non eſt, quod moneam. Ceterum gratias tibi, v. A. ago quantas poſſum maximas pro navatis mihi nuperis tuis officiis; et cum paria tecum facere nequeam, hoc tibi polliceor, tam benevoli adverſus me animi teſtificationem memori ſemper animo me complexurum. Vale! Biponti ipſis Kal. Maj. an. cIↃIↃccxvi.

CLXI.

GEORGIO CHRISTIANO JOANNIS.

Cum excerpta Dodechini verba illico, uti juſſeras, per Müllerum noſtrum miſe-

miseiim, non ægre feres, quod nunc demum, quas comites dare debueram, responsoriæ sequantur. Dum enim parum esset, quod responderem, ac varia insuper obstarent negotia, in hoc usque tempus pace tua differendum putavi. Ex Dodechini loco perspexisti de Conradi successione nullum, in comitiis vero Goslariensibus illam obtinuisse justum tibi dubium fuisse. Altum enim de loco silentium, nec Goslariensium comitiorum ab Aenobarbo circa hoc tempus celebratorum Dodechinus nec alii, quos consului, scriptores mentionem faciunt. Annum, qno Joh. Casimirus Comes Palatinus declarationem dederit, ac promulgarit, et quo typis exscripta fuerit, diligenter inspexi, ac Forstero dedi. Annales Schirenses, cum maximo eorum desiderio, ex quo illorum spem fecisti, flagrem, acceptissimi sane erunt. Solis enim Historicis, Politicis ac MStis conlegengendis operam in posterum dabo, atque utinam hoc semper mihi propositum fuisset. Sed tantus in libris comparandis ardor fuit, ut, quam stultum sit, omnium disciplinarum oceanum exhaurire velle, non satis perpenderim. Jam vero selectum faciam, non nisi præstantiora servabo, reliqua vero cum aliis commutabo. Quod vero supra dicta præ aliis conqui-

renda in posterum statuerim, gravissimæ multæ rationes moverunt. Potissimam saltem adduco, quod scilicet mecum reputaverim, omnes alias scientias mutationi subjectas esse, solam vero historicam veritatem, quæ in nuda factorum enarratione consistit, semper eandem esse, atque in æternum futuram. Hinc soli historici libri, ac, qui ea potissimum nituntur, politici in eodem semper pretio persistunt, cum reliquarum scientiarum omnium multitudo, nec Theologia ipsa excepta, in ipsis principiis, conclusionibus ac potissimum tractandi methodo pluribus uno seculo mutationibus subjecta sit, adeo, ut vetera scripta novatoribus quandoque jure, quandoque injuria sordeant. Quod, si hujus loci esset, prolixe demonstrari posset. Non possum vero non, quin te certiorem reddam, me ex Mayeriana bibliotheca (o me felicem!) triginta quatuor una vice volumina manuscripta nactum esse, inter quæ historica bene multa, Pomeranica inprimis, existunt, ita, ut libraria mea supellex insigniter aucta sit. Miror, quod nullus veterum Codicum membranaceorum mihi cesserit, cum nec his leve pretium statuerim, quare ingenti illos divenditos esse conjicio. Sed absit, ut injustas fundam querelas.

Satis

Satis utique fortunatus fui, ac inprimis lætor, me præter varia Acta, ad Concilium Tridentinum pertinentia, et ex bibliotheca celebris quondam Cardinalis Stanislai HOSII profecta, tot una vice Epiſtolarum volumina conſecutum fuiſſe, cum curta admodum earum mihi hactenus fuerit ſupellex. Prærepta tamen ab alio licitatore mihi ſunt inſignia illa tria volumina, Epiſtolas Card. HOSII aliorumque complectentia, quæ in Catalogo Bibliothecæ Mayerianæ p. 726. num. 7. 8. 9. indicantur. Aliquoties coram rogavi, ut, ſi aliqua in veſtris oris cimelia occurrerent, æquo mihi pretio comparares, quod tu libenti etiam, ut ſpero, animo facies. Latent apud vos perilluſtris Cancellarii Greiffenkranz MSta Genealogica collectanea, apud filium ſcilicet harum rerum parum ſtudioſum. Velim igitur, ut haud gravatim, tecto tamen nomine meo, in illa inquiras, qualia ſint, et quonam pretio haberi poſſint. Quod ſi feceris, inſigne mihi utique præſtabis officium, quod grato animo non ſolum agnoſcam, ſed quavis etiam data occaſione demereri ſtudebo. d. IX. Junii MDCCXVI.

OBSERVATIO

de

Memorabili Codice MS. qui multa documenta, ad hiſtoriam potiſſimum Concilii Trident. ſpectantia, complectitur.

Meminit in literis, modo exhibitis, b. VFFENBACHIVS Codicis MS. ex Bibliotheca Card. Stanislai HOSII profecti, qui varia Acta, ad hiſtoriam Concilii Tridentini ſpectantia, continet. Hunc cum aliis fortiſſimum Heroem Carolum XII. Suecorum quondam Regem, in expeditione Polonica Heilſpergæ in Boruſſia, quæ ſedes olim et domicilium Hoſii Epiſcopi Varmienſis, erat, jure belli ſibi vindicatum, D. Jo. Frid. MAYERO, Theologo Gryphiswaldenſi, donaſſe, alibi docui (*). Ex ejus bibliotheca, publice venundata, ille in Vffenbachianam, et hinc in meam tranſiit. Tria autem illa præſtantiſſima Epiſtolarum volumnia cura Theo-

(*) in Amœnitatibus hiſtoriæ eccleſiaſticæ et literariæ. Tom. I. p. 188.

Theologi, dum viveret, consummatissimi, D. Ern. Sal. CYPRIANI in Bibliothecam Ducalem Gothanam pervenere (*). En tibi, quæ in Catalogo bibliothecæ Mayerianæ p. 726. de iis indicantur: *Card. HOSII aliorumque Epistolæ originales ad Hosium, et alios scriptæ ab A. 1545. usque ad A. 1610. Sunt scil. Epistolæ Card. Caroli Borromæi 52. Petri Canisii 33. Ottonis Card. Augustani 53. Petri Fabri 4. Jo. Franc. Lombardi 7. Card. Putei 28. Stan. Rescii 2. Imperatorum, Regum Reginarumque, Ducum et Electorum 14. et aliorum Cardinalium Episcoporumque plures: omnes 379. Inprimis vero quæ ad Hosium datæ sunt, historiæ Tridentini Concilii insignem affundunt lucem. Sunt enim hic Pontificum instructiones, aliorumque literæ, Hosio, in Concilio sedenti Legato, Roma et aliunde missæ, eæque omnes autographæ.* Harum præcipuas et maxime memorabiles, ad fidem autographorum exactas, ac annotationibus suis illustratas laudando consilio b. CYPRIANUS in Tabulario Ecclesiæ Romanæ sæ-

 culi

(*) Erravit b. SALIGIUS, qui hæc tria Epistolarum volumina ex Bibliotheca Mayeriana in Uffenbachianam, et inde in meam migrasse perhibuit in Historia Concil. Trident. Part. III. p. 235.

culi XVI. publicæ luci Francofurti A. 1743. in 4. exposuit.

Ego autem ex meo volumine, varia Synodi Tridentinæ Acta aliaque complectente, præter Card. Reginaldi POLI epistolam ad Eduardum VI. Angliæ Regem de Opere adversus Henricum VIII. patrem scripto, et Matthiæ CITHARDI ad Pium IV. P. R. de Ferdinandi I. Imp. obitu literas, Card. Crescentii et Aloysii Lippomanni, quibus Archiepiscopum et Electorem Moguntinum ad Concilium Trident. invitarunt, epistolas, ac Consultationem Imp. Ferdinandi I. jussu de articulis reformationis in Synodo Tridentina propositis ac proponendis institutam valde insignem in Amœnitatibus historiæ ecclesiasticæ et literariæ in dias luminis auras protuli.

Cum vero plurimum intersit, nosse fontes, unde sua potissimum incomparabilis Historiæ Concilii Trident. scriptor Paulus SARPIVS hausit, ejusque etiam adversarius, Card. Sforzia PALLAVICINVS, meminisse hac occasione juvat alius Codicis quantivis pretii, quem maximi instar cimelii habeo. Convenit ille egregie cum eo volumine, quod Vir Illustrissimus, Marcus FVSCARENVS, Eques Venetus, et Procurator D. Marci amplis-

amplissimus, ingens hodie Italiæ eruditæ decus, in opere magnifico et immortali (*) *Della Letteratura Veneziana* Lib. IV. f. 352. sqq. ita descripsit: *Questo è un grosso volume, scritto non molto dopo gli ultimi anni del Concilio. Dall' aver noi alquanti Codici che mostrano il carattere medesimo, l'argomentiamo posto insieme da persona di questa Città. Oggidì è in potere del Patrizio Sig. Piero Gradenigo a S. Giustina, il quale avendo occupata l'età sua migliore in raccogliere ogni sorta di memorie concernenti alle antichità della Patria, con fatica e spesa infinita, e continuando tuttavia nel pensiero stesso, non ricusa poi di comunicare altrui le notizie, che frequentemente gli vengono ricercate. Quindi per sua cortesia, e per l'antica benevolenza che passa fra la sua famiglia e la nostra, potemmo esaminare comodamente il mentovato volume, e fare un estratto degli autori delle Relazioni e Lettere in esso contenute. Porremo qui le più importanti, avvertendo che tutte appertengono agli ultimi tre anni del Concilio. Quanto a' Principi, ve ne hanno del Papa, dell' Imperador Ferdinando, dei Re di Francia, e di Spagna. Del resto piu sostanziali e copiose sono quelle del Cardinal Borromeo a i legati del Concilio, e al Vescovo*

(*) cujus in laudem Eminentissimus, dum viveret, Cardinalis QVIRINVS tres Epistolas Brixiæ A. 1753. in 8. edidit.

covo di Ventimiglia, alquanti luoghi delle quali ſi veggono tratti dalla cifra: quelle del Cardinal Seripando ſcritte al Borromeo, e anche quelle del Concilio a queſt' ultimo. Il Cardinal Morone ne ha molte aſſai lunghe e conſiderabili, e due in particolare, che non ſi vede a chi foſſero indiritte, in una delle quali rappreſenta diffuſamente lo ſtato, in cui ritrovò le coſe del Concilio al ſuo arrivo in Trento. Parecchie poi ve ne ſono ſenza nome d'autore, ſcritte però da Trento, e alquante di Cardinali, o Prelati Veneziani, delle quali ſi darà conto verſo la fine di queſto Libro, nel parlare che dee farſi delle Lettere Iſtoriche. Finalmente è da notarſi una lunga Lettera del Veſcovo d'Iſchia a D. Gio. Manriquez, intorno alcune ſeſſioni tenuteſi l'anno 1563. Nè vi mancono tampoco rimoſtranze di Principi, o ſcritture preſentate da' Proteſtanti. Nel numero della prime è riportata quella, con cui il dì 7. Ottobre 1563. gli Ambaſciadori della Republica di Venezia chieſero tempo da poter riflettere ſopra il decreto, che volea farſi della Riformazione de' Principi. Di che è fatta menzione dal Cardinal Pallavicino Lib. XXIII. Cap. 3. n. 31. Anzi incontrandoſi in queſto volume buona parte dei documenti citati dal ſuddetto Cardinale, ſervir potrebbe di confronto all' Iſtoria di eſſe.

Eximii hujusce voluminis apographum, manu Italica curate ſcriptum, beneficio Viri

Viri cujusdam doctissimi, Venetiis olim diversati, a multis jam annis possideo. En tibi ejus titulum: *Lettere diverse, e Negoziazioni in Materia del sacro Concilio di Trento.* Singula ista hoc apographum continet documenta, quæ ex Codice Veneto enarrat Illustrissimus FVSCARENVS. Exhibentur hic Epistolæ Papæ Pii IV. Imp. Ferdinandi I. Regum Franciæ et Hispaniæ, Card. Caroli Borromæi ad Legatos Synodi et Carolum Viscontium vel Vicecomitem, Episcopum tum Ventimigliensem, postea Cardinalem, horumque ad illas responsiones: nec desunt cryptographice *(in cifra)* scripta, sed hic enucleata. Adsunt pariter copiosæ illæ ac maximi momenti Epistolæ Card. Jo. Moroni, illæ item ἀνωνύμως, Tridento datæ, nec non longa Episcopi Ischiensis ad Jo. Manriquez de quibusdam Synodi sessionibus epistola. Neque desiderantur scripta Principum, ac Protestantium quoque Synodo exhibita, et ipsum etiam illud Oratorum Serenissimæ Reip. Venetæ de decreto, quod Patres Tridentini de reformatione Principum condere voluerunt. Sed et in nostro volumine comparent Epistolæ Cardinalium et Præsulum Venetorum, de quibus sub finem libri sui nonnulla se dicturum promisit, idque etiam f. 460. præstitit laudatus, nec unquam

quam satis laudandus FVSCARENVS. Habentur enim hic quoque Relationes et Epiſtolæ Zachariæ Delphini, Pontificii ad Germanos Nuncii, ad Card. Moronum, Franc. Commendoni ad Concilii Legatos, et Aloyſii Lippomanni, Epiſcopi Veronenſis, ex Polonia ad Petrum Contarenum et Ducem Palianum, Pauli IV. Nepotem A. 1556. (*) miſſæ: annexa etiam hic eſt Formula Chriſtianæ et Catholicæ fidei tradita in S. Synodo provinciali Lovitii celebrata A. D. 1556. d. 11. Sept. Præſidentibus in ea Reverendiſſimo D. Aloyſio Lippomano Epiſcopo Veronenſi, Nuncio Apoſtolico, et Reverendiſſimo D. Nicolao Dziergowuski Archiep. Gnesnenſi, Legato nato, et totius Regni Poloniæ Primate, quæ omnibus Eccleſiis Provinciæ ejusdem inviolabiliter ſervanda et tenenda mandatur. Adſunt inſuper Joannis Epiſcopi Vladislavienſis ad Paulum IV. Pont. Rom. aliæque literæ, ſtatum Regni Poloniæ eccleſiaſticum ejus temporis illuſtrantes. Atque adeo dubium plane nullum mihi ſupereſt, meum volumen

---

(*) non 1566. ut typothetæ culpa in opere laudato numerus anni expreſſus eſt.

men ad unguem convenire cum Codice Veneto, dignum utique, quod pretiosi instar cujusdam cimelii asservetur. Fortassis alio tempore sigillatim, quæ in eo exhibentur, documenta et epistolas recensere licebit; nunc, quæ primo loco comparent, duntaxat indicabo.

Copia di una Lett. del Rè di Spagna al Marchese di Pescara in Concilio di Trento.

Al Sign. Ercole Pagnano in Trento. Copia di una Lett. de Co. di Luna destinato Ambasciadore di S. M. Cattolica al Concilio 1562. tradotta dal Spagnuolo.

Copia di una Lett. dell' Imperadore Ferdinando à Papa Pio IV. Oenipontì VII. Jd. Mart. 1562.

Coronidem vero imponit Volumini Julii Pogiani de Tridentino Concilio Disputatio.



CLXII.

CLXII.

GEORGIVS CHRISTIANVS JOANNIS

Fecisti pro tua in juvandis literarum studiis alacritate, dum Dodechini verba, a me nuper expetita, tam benevole in usus meos excerpsisti. Ego vero, pro grata, quæ apud me est, vigebitque, officii hujus memoria, gratias tibi ago quantas possum maximas, simulque ad acceptissimas tuas brevibus respondeo. Et quidem gaudeo primum, te tam luculento manu descriptorum voluminum numero e bibliotheca Meyeriana auctum esse. Tum vero, quicquid in me opis est, ad id genus thesauros investigandum, non modo tibi polliceor, sed etiam, quamprimum occasio sese offeret, cum libenter tum studiose præstabo. Greiffencrantzii collectanea genealogica tanti non puto, quanti forsan ab aliis, qui non inspexere, habentur. Filium ea sibi servaturum, jamdiu est, quod cognorim: bibliothecam vero Böttichero divenditurum, nunc audio: quamvis dubitem, id negotium confectum iri. Ceterum est, quod denuo abs

te

te petam. Scilicet, cum librum, cui titulum esse scripsisti: *der Pfaltz am Rhein Staat- Land- Stadt- und Geschicht-Spigel etc.* nunquam viderim, ut ne graveris, brevibus perscribere, cujus ille sit commatis, et quo pertineat. Ego scriptum conjicio occasione belli superioris Gallici, et continere brevem descriptionem Palatinatus Rhenani, una cum recensu illorum, quæ tum temporis in eo contigere. Vtrum bene conjiciam, nec ne, tu scies, faciesque, ut et ego sciam. Itidem incertus sum, quo spectent acta in act. L. diffamar. *in Sachen Ludwigs Churf. zu Pfaltz* contra *Georg Hansen etc.* Facies igitur rem mihi gratissimam, si paucis me simul edocueris, quo anno editum sit illud scriptum, et super qua controversia actio illa, de qua agit, oborta. Quum plus jam tibi debeam, quam solvendo sim, hoc ipso facies, ut perpetuum tibi sim debiturus. a. d. X. Kal. Jul. an. cIↃIↃccxvi.



CLXIII.

CLXIII.

GEORGIO CHRISTIANO JOANNIS.

Qualecunque meum bonas adjuvandi litteras ſtudium tibi probari, eſt quod læter. Vtinam vero vires ſincero utique ardori meo reſponderent, nec voluiſſe unica me ſæpius laus maneret. Goslariæ nulla plane circa an. 1156. comitia celebrata nunc, poſtquam diligentiſſime in ea inquiſivi, aſſero. Conradum vero ſuum Palatinatum eo ipſo anno obtinuiſſe ex diplomatibus etiam palam fit. Anno enim 1155. diplomati a Friderico Imp. dato adhuc Dux ſubſcribit apud Manlium in Chron. Conſtant. a Piſtorio edito p. 625. in alio autem anni 1157. Palatinum Comitem Rheni ſe dicit, vide ſis du *CHESNE de la Maiſon de Luxemb. dans les preuves* f. 42. Greiffencranzii Genealogica tanti non eſſe miror, cum THVLEMARIVS ac alii magnifice de illis olim apud me locuti ſint. Tuo vero judicio acquieſco, ac a filio iſthæc premi patientius nunc fero: Bibliothecam in Botticheri ſcabioſas ac ſordidas licet manus devenire peroptem, tunc enim et mihi ex illa quædam obtingerent. Emendæ

dæ illius ſuaſor ei ipſe fui. Nunc ad binas quæſtiones a te propoſitas reſpondendum eſt. Aſt prior vix reſponſione indiget, cum conjectura tua rem velut acu tetigeris. Monendus tamen adhuc es, authorem Joh. Jacob. Wagnerum eſſe, qui anno 1697. edidit *chriſtlich und türkiſchen Stadt und Geſchicht-Spiegel. Erſtes Buch von Ober und- Nieder-Ungarn*, Morea etc. poſtea vero an. ſcil. 1690. hanc Palatinatus deſcriptionem, velut alterum belli inter Chriſtianos tunc temporis graſſantis theatrum, omiſſo tamen nomine, in lucem dedit, quod exinde patet, quod ſupra dictæ prioris partis mentionem faciat, ac aliquam continuationem huic ſubjungat. Brevis admodum Palatinatus atque locorum in illo deſcriptio eſt, ZEILLERI topographiæ, ex qua plurima etiam deſumta, reſpondens, adjectis tamen iis, quæ noviſſime a Gallis durante bello geſta ſunt. Acta illa in Judicio Cameræ Imp. concernunt lites de hereditate Ottonis Heinrici Comitis Palatini. Egregia in his Privilegia ac alia res Palatinas illuſtrantia monumenta occurrunt. Singulare, dum illa nuper evolverem, viſum eſt, quod Georgius Johannes Comes ipſe in judicio comparuit, et cum poſt mortem Procuratoris ſui D. Linckii alium, qui cauſam tueri voluerit, neque etiam No-

tarium habere potuerit, ipse contra diffamationem, quam vocant, protestationem obtulerit, ac de denegata et protracta justitia conquestus fuerit. Urgebat autem alias dictus Comes vel Austregarum in familia judicium, vel Compromissum. Forum autem Judicii Imp. ac ordinarios, ut in ICtorum scholis loquuntur, processus subire constanter detrectabat. Annus, quo acta illa typis exscripta sunt, non indicatur, neque etiam locus. Incipiunt autem ab anno 1583. et in anno 1589. desinunt, quo ipso anno d. 22. Aprilis Comes Georgius Johannes absolutus, et res ad amicabilem Austregarum compositionem amandata fuit. Hæc sunt, quæ te latere nolui. Quod si aliis in posterum studia tua juvare potero, me nunquam tibi defuturum crede firmissime, d. ult. Junii. cIɔIɔccxvi.

CLXIV.

D. CAROLVS OTTO RECHENBERGIVS, ICtus Lipsiensis.

Venit ad me DU MONTIUS, eamque mihi tuam in adjuvanda re literaria humani-

manitatem deprædicavit, quam a viro tam excellenter docto reique librariæ pariter et literariæ studioso ignotus etiam augurari poteram. Nisi ergo me omnia fallant, veniam sane meæ audaciæ, qua nullo obsequii genere Tibi notus negotia tua interpellare audeo, obtenturum spero. Quum enim DU MONTIO licuerit esse tam felicem, ut supellectilem, quam egregiam possides, librariam cerneret, inter alia quoque bibliothecæ instructissimæ cimelia se observasse asseveravit aliquot GROTII manu exaratas, nondum vero editas epistolas asservari (*). Insimul

 singula-

(*) Epistolas Hugonis GROTII, tum seorsim, tum junctim editas diligenter recensuit doctissimus Auctor Manium ejus ab iniquis obtrectationibus vindicatorum, Part. II. p. 675. sqq. ineditas vero p. 844. sqq. Haud meminit inter editas earum, quæ a variis ad GROTIVM exaratæ habentur in collectione Jani BRANTII, Amstelodami A. 1715. in 8. publicatæ. Extant etiam quædam Grotianæ in eximia illa Epistolarum Illustrium Virorum collectione, quam Petri BVRMANNI studio acceptam ferimus, nec non in Ill. ARKEN-

ſingularem tuæ benevolentiæ, qua in ſtudia feraris, fidem fecit, animumque addidit, ut earum comparandarum gratia tuum, Vir clariſſime, limen adirem. Sunt enim mihi ter centum et quod excurrit anecdotarum; ſunt claves enodandorum pſeudonymorum et numerorum (chiffres quos vocant) in epiſtolis politicis ſubinde occurrentium; ſunt et alia Grotiana; quæ ſingula, cum bibliopola Batavo de hac re pactus, tempore nundinarum autumnalium publicanda (**) habebo. His vero

---

ARKENKOLZII *Hiſt. Merckwürdigkeiten die Königin Chriſtina von Schweden betreffend.* Plures nondum editas nactum deinde eſſe b. VFFENBACHIVM, apparet ex b. Jo. Chriſtoph. WOLFII conſpectu Supellectilis ſuæ epiſtolicæ p. 119. 164. etc. In inſtructiſſima Bibliotheca Celſiſſimi Comitis Henrici de BUNAU aſſervatur Codex MS. CCLXXXVIII. epiſtolas GROTII continens ineditas et nitide deſcriptas. vid. Catal. Bibliothecæ Bunav. Tom. I. Vol. III. p. 1924. Ipſe inter reculas meas ſervo ſex GROTII ad Wilh. SCHICARDVM epiſtolas αὐτογράφυς.

(**) Dolendum eſt, conſilium RECHENBER-

vero quum acceſſionem non contemnendam tua gratia fieri poſſe intelligerem, pro ea qua literati inter ſe utuntur, ſtudiorum communione te rogatum velim, ut, quæ viſa fuerint, benevole mihi communicare non dedigneris. Pretium exſcribendarum non modo lubentiſſime,

Ll 3 quod-

BERGII exoptato eventu caruiſſe, et illam epiſtolarum GROTII collectionem in lucem haud prodiiſſe, quod culpa bibliopolæ Batavi factum eſſe, didici ex literis DU MONTII ad b. VFFENBACHIVM Lipſia A. 1719. d. 18. Mart. ſcriptis, ubi ille ita: *J'ai dejá éprouvé votre bonté à l'egard de Monſieur noſtre Docteur Rechenberg le Fils. Si les lettres ânecdotes de GROTIVS n'ont point encore vu le jour, ce n'eſt ni ſa faute, ni la mienne. M. Samuel Maſſon avoit traité avec un Libraire de Dort; et j'avois envoyé le Manuſcript bien conditionné; mais ce Libraire n'a pas cru devoir tenir ſon propre contract, ſans en donner d'autre raiſon, ſi ce n'eſt qu'un Regent d'Amſterdam ne lui conſeilloit pas cette impreſſion, et M. Rechenberg n'a pas jugé à propos de l'y contraindre par la voye de la Juſtice. Ainſi l'ouvrage eſt encore dans le cabinet de ce dernier.*

quodcunque fuerit, restituam, sed et ipsum Tomum, quam primum excusus sit, epistolarnm Grotianarum grati animi monimentum transmittam. Asservantur penes me omnium ferme Secul. XVI. et XVII. eruditorum reliquiæ epistolares, quæ ubi nomen autorum, qui desiderantur, intellexero, prompte a memetipso tradendæ erunt. Lips. 1716. d. 6. Febr.

CLXV.

D. CAROLO OTTONI RECHENBERGIO.

Multum certe debeo DU MONTIO viro optimo, quod exoptatissimam tuam mihi conciliarit amicitjam. Quod quam gratum atque acceptum mihi acciderit, dicere satis nequeo nec, si possem, utique vellem. Malo re ipsa hoc tibi probare, atque ita favore tuo non indignum me præstare. Licet enim, ut ex amantissimis literis tuis conjicio, Celeb. DU MONTIUS honorifice nimis de me ac supellectili mea libraria pro singulari huma-

humanitate sua locutus videatur, meum tamen eruditos quovis modo adjuvandi studium imo ardorem adferens fucum minime fecit. De quo ne tibi ullum superesse queat dubium, en ea, de quibus spem tibi fecerat. Vereor autem, ut majorem tibi, quam par erat, dederit, et utinam plura ac meliora suppeterent, lubentissimo certe animo omnia suppeditarem. Ast mihi non contigit tam esse felicem, quam te fuisse intelligo, cui tot Virorum doctorum Epistolæ obtigerunt. Fortunam in aliis sat benignam expertus sum, in his vero admodum parcam. Est mihi quidem integrum Jo. Petri LOTICHII Commercium literarium, ipsius manu congestum ac prelo paratum; sunt mihi non paucæ Julii Cæs. SCALIGERI anecdotæ, ast apographæ, ac denique unicum autographarum possideo volumen, eximias tamen et magni nominis virorum Epistolas sistens, illud ipsum, ex quo præsentes Grotianæ desumtæ snnt. Spes tamen mihi est ex Bibliotheca Mayeriana, quæ Berolini sub hasta vendita est, quarundam potiundi, de felici tamen eventu adhuc dubius hæreo. Grotiana illa autographa ideo mihi existunt gratissima, quod ex illis Homeri exemplum doctissima ejus manu ita adornatum, ut plures annotationes ob spatii defectum

nemo, doctiores autem vix nullus adjicere possit, ipsi proprium fuisse demonstrare queam. De altera autem harum Epistolarum monendus adhuc es, nomen Consiliarii Hohenloici ita detritum esse, ut vix legi possit. Quod si autem in divinando illo forsan hallucinatus fuerim, te brevi certiorem reddam, nam per amicum quendam feci inquirere, num tali nomine Consiliarius Comiti Philippo Ernesto fuerit? Epicedium, quod adjeci, ipsius quoque GROTII manu exaratum fuit, sed annon inter reliqua in honorem SCHICKARDI typis exscriptum sit, definire non ausim. Doleo certe, quod plura ac præstantiora concedere nequeam. Oblatum equidem novæ tuæ editionis, cui propitiam Lucinam apprecor, exemplum exigere, vel etiam a liberalibus manibus tuis pro tam exiguis accipere nolim, nisi majoribus officiis demereri liceat. Hoc vero a te contendam, ut, si reliquis tuis inserantur, nominis mei absque ullo tamen encomio mentio fiat. Major sane erit, quam mereor, honos, si in tanto opere mei nominis monimentum occurrat. Ast non invidebis illud, nec vitio etiam vertes, spero. A. 1716. d. 18. Febr.

CLXVI.

CLXVI.

D. CAROLVS OTTO RECHENBERGIVS.

Quam ultimis literis inverecundiam deprecabar, jam præſentibus ingratitudinem amoliendam habes, quaſi accepto beneficio obmuteſcerem, idemque oblivioni traderem. Ita enim eſt, ut nullis reſponſoriis acceptis eorum me numero accenſeres, qui, parum benevolentiæ præſtitæ memores, remiſſiores in gratibus agendis, quam efflagitandis humanitatis officiis agunt. Verum enim vero rectius forſitan de memetipſo ſenties, ſi ex una parte ſollicitudinem, qua verbis aridis, teipſum, vir clariſſime, negotiis undiquaque diſtentum offendere verebar, altera vero labores perexiguos quidem, numero tamen majores academicos æſtimaveris, quibus ad hoc usque feriarum tempus ab omni fere literarum commercio avocatus fui. Grates ergo meas non tam ex promtitudine, qua aguntur, et obſequioſa quaſi præcipitantia, quam ex eo ſtudio et animo judicabis, quo me ſemper Tibi tuoque clariſſimo homini de-

 ditum

dictum dein agnofces. Sunt ergo, id quod infimul fignificandum duxi, literæ, quas ex conditorio tuo inftructiffimo benevole communicafti, novo volumini infertæ, inque Belgium, ut excudantur, jam transmiffæ Quam fuppeditafti infcriptionem illarum, meritis Tuis, vir clariffime, magis intentus, lubentiffime mutaffem, et decentibus encomiis exornaffem; nifi gratius tibi forfitan obfequium meum, quo tuis verbis obtemperarem, quam obfervantiam laudibus tuis promeritis fignificandam tibi futuram putaffem. Opus jam excudendum fuæ forti et bibliopolæ, quam promifit, accuratæ correctioni relinquendum erit, feque ipfum, ubi abfolutum fuerit, grati animi monumentum tibi tuæque bibliothecæ fiftet. Notas, quas MSS. GROTII in Homerum, ni fallor, literis tuis allegaveras, in fchediasmate operi adjungendo tua pace infimul allegabo, ut faliva vel biblipolæ cuidam, vel aliis eruditis moveatur. Hinc fi delineationem et recenfionem quafi illorum, quæ in iis præftita funt, transmiferis, omnia tuo judicio à memetipfo dein inferentur. Fer. Pentec, 1716.

CLXVII.

CLXVII.

D. CAROLO OTTONI RECHENBERGIO.

Parum abest, quin talionis jure tecum agere, ac par pari referre voluisse videar, quod tanto temporis intervallo nullum adhuc ad gratissimas tuas responsum dederim. Ast si me audis, audies autem, ut spero, benevole, me non tam cupidum vindictæ cognosces Exspectabam prius ea, de quibus, si recte memini, nuper scripsi, Volumina Epistolarum è Mayeriana Bibliotheca coemta, quæ animo te juvandi cupidissimo perlustrare, ac de iis, quæ in usus tuos in his voluminibus deprehensurum sperabam, simul nunciare gestiebam. Accidit vero, dum justo diutius libri isti morarentur, ut iter ad acidulas Swalbacenses Medicorum consilio parandum fuerit. Ubi postquam integrum fere mensem transegi, diu desideratam librorum MSS. sarcinam domum reversus offendi. Summa igitur cum aviditate illud volumen, quod in Mayeriano Catalogo p. 727. num. 13. recensebatur, evolvi. Spes enim erat, me alias præter Commea-

Commeatus, quæ l. c. memorantur, literas ab Hugonis GROTII manu inventurum, atque ſic veniam ſilentii plures tibi offerendo Epiſtolas facile impetraturum. Aſt fruſtraneæ fuerunt ſpes et expectatio mea. Nullæ enim amplius occurrebant, ac dictæ Commeatus literæ, lingua Gallica exaratæ inque ſe nihil continebant ſingulare, niſi quod GROTII et VOSSII manu ſubſcriptæ ac ornatæ fuerint. Ut adeo nil ſuppetat, quo te placare queam, niſi forſan tres illæ ad GROTIVM Iſ. CASAVBONI, G. J. VOSSII ac J. UYTENBOGARDI Fpiſtolæ arrideant, quanquam dubium mihi ſit, num illas quoque, quæ ad GROTIVM ab aliis datæ ſunt, adjecturus ſis. De nuper transmiſſis adhuc monendus es, Conſiliarium illum, ad quem una earum perſcripta, et cujus nomen pene deletum in inſcriptione erat, non Apſium ſed Aſſum vel Aſſumium (*) nominatum fuiſſe. Cujus certiorem me fecit conſiliarius quidam Hohenloicus, qui me efflagitante Langenburgum ſcribens inquiſiverat. Id quod LVNIGIVM jam indicaſſe

(*) GROTII epiſtola ad Aſſumium inſerta a me eſt Amœnitat. literar, Tom. X. p. 1250.

caſſe tibi exiſtimo. Nuper aliud agens, incidi in libellum, cujus titulus: *COLOMIES Bibliotheque choiſie à la Rochelle*, 1682. 8. etc. in quo p. 23. ſqq. recenſet Auctor Hugonis GROTII Comment. de Imperio ſummarum poteſtatum circa ſacra, ibidemque interſerit Excerptum e GROTII Epiſtola, cujus autographum ſervare ſe dicit, quam ut integram dediſſet tui cauſa vellem, ipſum tamen fragmentum hoc minime negligendum puto. Notas in Homerum quod attinet, aliam illarum recenſionem dare nequeo, niſi ut dicam, illas non ſolum uberrimas, ſed ut omnia magni hujus viri ſolent, doctiſſimas utique eſſe, quibus textum emendat atque illuſtrat egregie. Plures equidem et vett. et novos libros poſſideo, manu Celeb. Virorum notatos, quorum indicem meo, ſi Deus voluerit, ac æquum fortuna tribuerit typographum, catalogo MSS. annectam; ex omnibus tamen hoc præcipue volumen magni ſemper feci, utpote a tanto viro profectum, ac a Clariſſ. GRÆVIO (ejus enim olim fuit) in magno pretio habitum. Si quis Eruditorum novam hujus Poetæ editionem ſerio parare velit, lubentiſſime hoc meum exemplum concederem. Nil enim prius, nil antiquius habeo, quam ut honeſta proborum Virorum ſtudia pro viribus juvem. d. 28. Aug. 1716.

CLVIII.

CXLVIII.

D. JO. GEORGIVS SCHERZIVS.

Magna cum animi lætitia tuas accepi, eoque majori, quo gratius fuit cognovisse, quantum tibi debeam pro opera in investigando Ouvone et *Gemma Gemmarum* adhibita. Quod nostro labori nunc denegatur, dies forte præter omnem spem dabit. Ego ut vicissim ostendam, me ingrati nomen quantum pote aversari, mitto per virum eruditionis, eloquentiæ, et pietatis nomine apud nos maximi æstimatum Dn. Joh. Leonhardum Frœreisenium, Ecclesiæ Nicolaitanæ pastorem et Canon. Thomanum, Mythologi mei Codicem MS. cum adjuncto Gnomologo bino, qui est Fridanckius; ut inde pro lubitu excerpere queas, quicquid lubuerit. Alia etiam, quæ de meis habere cupies, transmittam. Possideo non unum Codicem MS. Germanicum. En inscriptiones potiorum: Legenda Sororis de S. Clara Monialis Argentinensis, elegantissimo charactere in membrana scripta, quæ secundum seriem anni vitas Sanctorum exhibet in 12. Carmen Ero-

Eroticum, in quo ingenium et fata amantium ſub allegoria venationis repræſentantur, conſtat circiter 500. ſtrophis: in membran. in 8. KOENIGSHOVII Chronici Alſatici tres Codices, ex quibus multa hauriri poſſunt ad incrementum editionis a a SCHILTERO curatæ. Carmen, in quo fata Triſtani prolixe exponuntur. in fol. in charta. Hiſtoria ſeu potius Fabula Ponti, qui dicitur fuiſſe filius Tiburti, Regis Gallæciæ in-fol. in charta. Itinerarium Johannis de Mandevilla Germanice verſum ab Ottone Dimmeringenſi, Canonico Metenſi in fol. in chart. Jacobi de Leronis Belial contra Criſtum fol. in chart. collectio ſententiarum ex Patribus Eccleſiæ de paſſione Chriſti in 12. in chart. Eſt mihi etiam opus Aſtrologicum et Arithmeticum figuris ornatum in 4. in chart. in cujus parte priori de menſium ſingulorum conditione et effectibus agitur, in poſteriori autem Arithmetices præcepta traduntur. Occurrit in hoc MSt. menſis, qui appellatur *Fülmonat*, cujus an alibi etiam mentio fiat, ſcire averem. Ex Codice tuo, qui Evangelia ſiſtit, unam tantum paginam deſcriptam habere cuperem, ut conſtaret, annon inde aliquid opis ad Otfridum (cujus duo habeo Apographa, alterum codicis Vindobonenſis, alterum codicis Vaticani) accedere poſſit. Quid Dieterici

terici a STADE Otfridus? videbitne aliquando tandem lucem? Annon tibi innotuere fata Editionis Otfridinæ, quam Franc. Junius, vir in his literis peritissimus, minabatur? Expone illa, si lubet. Plura non addo, nisi quod latorem harum de meliori nota favori tuo commendem. Argent. d. 6. Jun. 1716.

P. S. Annon in tabernis vestris librariis venùm prostat libellus, cui titulus: *Einleitung zu der Teutsch-Europaischen Staats-Historie,* Giessæ A. 1713. impressus? Rem præstares gratissimam, si ejus copiam mihi faceres.

CXLIX.

D. JO. GEORGIO SCHERZIO.

Reddidit vir plur. Reverendus Frœreisenius et literas tuas dulcissimas et præstantissimum Mythologi tui volumen, insignia utique tuæ in me benevolentiæ documenta. Quod enim hoc meæ fidei credere volueris, non leve sane ejus argumentum

mentum est. Faciam autem, ne te facti pœniteat; non solum enim illæsum brevi restituam, sed quovis etiam officiorum genere demereri satagam. Quid dico satagam, qui studebo dicere debuissem? Cum enim integrum adparatum offerre non dubitaveris, quomodo gratam tibi mentem probare satis potero, non dispicio. Erunt autem omnia suo tempore acceptissima, ea inprimis, quæ rhythmis, quibus impense delector, conscripta sunt. En tibi initium Codicis mei Evangeliorum, uti demandaveras, quem ipsum, si volueris, submittam. Id jam per Venerand. Dn. Frœreisenium fecissem, nisi voluntati tuæ obsecundare, ac specimen prius dare visum fuisset. Recipies vero librum per fratrem, quandocunque lubuerit. Mensem *Fulmonat* in MSto tuo Astrologico occurrentem ubivis inquisivi, sed frustra. Videtur autem vel Augustum vel Septembrem (*) ex Etymologia designare, quoniam illo horrea atque granaria, hoc vero cellæ atque pomaria replentur. Abundantiam

(*) *Fulmonat* vel *Fulmant* Septembrem denotare patet ex Clar. Christiani Gottlob HALTAVSII Calendario medii ævi p. 127. Atque adeo rem acu tetigit b. VFFENBACHIVS.

ipſam etiam, qua iſthoc tempore gaudemus, denotare poſſet, quemadmodum Anglicana etiam lingua vox *Fulneſs* copiam et abundantiam indicat. Ita Januarius etiam a veteribus ac ipſo Carolo M. Imp. *Wulfmonath* a luporum graſſantium copia, Majus *Wunnemonath* a læta terræ facie dictus. Sed leves hæ conjecturæ meæ doctis oculis tuis vix dignæ. De Dieterici a STADE Editione Otfridi eſt, quod deſperem (**). Cum enim ante ſex annos unacum Germano meo ſenem hunc venerandum compellarem, monſtravit quidem prelo paratum opus luce digniſſimum, aſt nullum ſe, qui ſumtus ferret, invenire poſſe querebatur merito, cum ſibi ſeptuagenario majori vix tam diu luce hac frui, ut illa opus multo labore ac ſudore partum donaretur, datum metueret. Qualia etiam fata expertus eſt Franciſcus JVNIVS, Vir, ut in Catalogo MStorum Angliæ initio Indicis CXXI. Codicum, quos Oxonienſi moriens legavit Academiæ, jure nuncupatur Venerabilis, et veterum Europæ dialectorum inſtaurator felix. Otfridus enim inter reliquas exuvias ejus præſtantiſſimas conditus atque ſepultus latet

(**) vid. VFFENBACHII *Merckwürdige Reiſen.* Part. II. p. 147. et 150. ſq.

latet. Vidi ego oculis meis bina ejus exempla, hisque manibus, quibus hæc scribo, dum Oxonii in Bodleiana ultra trimestre spatium hærerem, tractavi, unum manu ipsius propria descriptum, alterum Basileæ 1571. txpis exaratum, notis vero illustris viri exornatum, atque auctum. Hæc eruditorum tristis sane sors esse solet, ut, quæ improbo labore conscripsere, post obitum incuria heredum, aut in quorum alias manus veniunt, negligantur, abscondantur, pessundentur, vel invidia ab injustis detentoribus premantur. Quam multa egregia doctissimorum hominum scripta hoc modo periere, quam multa in publicis æque ac privatis bibliothecis pari reipublicæ literariæ jactura latent? Quantopere, ut unicum saltim domesticum scil. vobis adducam exemplum, dolendum, quod præstantissimus Teutonicæ linguæ Thesaurus Schilterianus bibliopolarum oscitantia, tenacitate ac sordida lucri cupiditate tenebris obvolutus ac quasi defossus jaceat! Ast nolo justis licet hisce querelis aures, oculos dicam tibi obtundere. Libellus historicus, quem desiderasti, cujus autor WEBERVS, Giessensis ille Professor, est, in officinis nostris amplius haberi nequit. Sandius major novam ejus editionem auctiorem ac emendatiorem sub prelo sudare, atque brevi

ſuis ſumtibus evaſuram aſſeverat. Quod ſi autem tam diu exſpectare nolis, ac ejus videndi deſiderio flagres, veterem transmiſſurus ſum. Unus enim bibliopolarum ejus adipiſcendi ſpem fecit, quam ſi fallat, proprium e bibliotheca mea exemplum tuis concedam uſibus, vel tui etiam, ſi aves, juris faciam. *Struvius* elapſis nundinis eximium atque ampliſſimum edidit Syntagmata hiſtoricum. Weberianum tamen non contemnendum, ac prælectionibus potiſſimum academicis aptum. d. 20. Junii MDCCXVI.

CLXX.

JO. BAPTISTA OTTIVS
Archidiaconus et Canonicus Tigurinus.

Aliquot elabebantur dies, ex quibus numeratam quinque thalerorum pecuniam a DD. Schinziis, celebribus apud nos mercatoribus, ante acceperam, quam tuæ mihi literæ redderentur; quibus redditis ſtatim comparavi Inventarium illud Helveticum, quod rariora quædam et ſecretiora

tiora ſtatus noſtri ſubindicat, inter alia ſexcenta et plura documenta, fœdera, pactiones, et ejusmodi non vulgaria, nec vulgata. Cui addidi Samuelis Pellicani Conr. Filii Codicem MS. in Marcum, cui alia quædam adjunguntur; et pro his jam ſatisfactum eſt. Adjungo duo exemplaria typi nummorum Hebræo-Samaritanorum ante hos aliquot annos a me editorum, et Tractatum de editionibus Bibliorum Germanicis ante Reformationem, quæ ut æquo animo a te accipiantur, oro. Coemtus eſt etiam occaſione atque opportunitate, qualis rariſſime accidit, Codex Bullingerianus, quatuor Voluminibus. Hic Codex elegantia ſcriptionis et ligaturæ illum, qui aliquot abhinc menſibus excellentiſſimo MIEGIO ceſſit, ſuperat. Rariſſime ejusmodi opportunitates dantur; hinc præſentem iſtam negligere et præterire nullo modo volui. De eo, quod vereris, ne forte imprimatur, quod verearis non habes: ratio ſtatus noſtri ejusmodi eſt, ut Magiſtratus noſter id hactenus noluerit, nemo præterea ſit, qui ejusmodi magni pretii apud nos opera ſumtibus ſuis ſuſtinere vel poſſit, vel velit, exterorum autem illud minime eſt. Et hoc eſt ordinarium illud BVLLINGERI de rebus Tigurinorum Chronicon.

nicon. (*) Acceſſio Tomi V. qui multa ex ſecundo denuo repetit, ſed aliis etiam ſingularitatibus illuſtrat, aliquid etiam ſingulare eſt, et apud pauciſſimos. Itaque ſi ita tibi viſum ſit, faxo, ut de eo etiam inquiratur. Aliud iterum ſuſceptum eſt indicum in omnes Tomos in unum

---

(*) En tibi celebris hujus Chronici titulum: Chronica Jo. Henr. BVLLINGERI *betreffend eine wahrhafte und ordentliche Beſchreibung aller fürnehmſten Handlen und Geſchichten, ſo ſich in und auſſer der Eydgenoſſenſchaft, ſonderlich aber in einer lœblichen Stadt Zürch und dero Landſchaft in Glaubens- und anderen weltlichen Sachen, vom erſten Urſprung der Helvetier an verlauffen und zugetragen, bis auf das Jahr Chriſti 1532. verfaſſt in XXVII. Büchern, und gegen andere Exemplarien collationirt und corrigirt &c. ſamt unterſchiedlichen Appendicibus und Zugaben, ſo in andern Exemplarien nicht vorhanden. Zu den 4. Theilen des Herrn Bullingers kommt in einem beſondern als 5. Theil hinzu die Continuation und Ausführung dieſer Hiſtorie bis A. 1618. vom XXVIII. Buch an bis zum LXVII. Buch durch Herrn Joh. Haller von Zürich.* vid. Bibliothecæ univerſalis Vffenbachianæ Tom. III. p. 348. ſq.

unum Indicem redactorum; qui quidem Index particulariſſimus eſt, nec aliter niſi 2. groſſis folium venit. De eo quid Excellent. T. fieri velit, docebor. Id ſolum impedimenti video, quod paginatio codicis non reſpondeat, tamen magnam partem libri et capita ſignata ſunt, non paginæ. Omnem operam admovi, ut, notæ meæ Flavianæ cum codice hoc ipſo faſce incluſæ mitterentur, ſed tempus, ut id abſolverem, non permiſit. Itaque in eo expectatione aliqua opus eſt, ſi tamen altera illa volumina habere poſſem, antequam noſtrum mitteretur, facilior eſſet ex uno exemplari in alterum traductio. S. Gallenſis bibliothecæ voluminum manuſcriptorum titulos et numerum miſi, unde judicare proclive ſit, quid illuſtri Cantoni Bernenſi ceſſerit; pleraque Monachalia, pauca Hiſtorica, pauca vere priſca, quos codices, ut aliqui opinantur, feſtinans monachorum fuga in ſalvum ferri curavit. Habemus nos in noſtris Manuſcriptis prioribus non multa quidem, ſed antiquitate ſua probata cumprimum Codicem perantiquum 1100. aut 1200. annorum Pſalterii Græci, quem deſcriptum videre licet in le LONGI Bibliotheca ſacra Pariſiis impreſſa, et Lipſiæ recuſa. Idem ille nunc deſudat in opere perfectiſſimo Bibliothecæ Scriptorum Gallicorum, univerſa-

verſalium, Particularium, Singulariſſimorum. Inter alia Manuſcripta Hiſtorica Bibliothecæ noſtræ etiam extat Henrici SVIZERI Chronicon Germanicum IV. Tomis. Hic SVIZERVS centum abhinc annis conſcripſit Chronologiam Helv. Latine in 4to impreſſam. Si Excell. Tua nondum habeat Rahnii *Eidtgenoſſiſche Hiſtorie*, 8. Germ. impreſſam, optime fecerit, ſi eam ſibi comparaverit; habet enim ſuccum ex BVLLINGERO et aliis. Curabo, ut propediem accuratius Exc. T. per me ſatisfiat, cum jam me otium deficiat. Vale.

Bullingeri 4. Vol. 30. Thaleris vendebantur, ſed 6. Ludov. aureis relinquuntur. Dab. Tig. 8. Aug. 1716.

CLXXI.

JO. BAPTISTÆ OTTIO.

Literæ tuæ non ſolum, quod a chariſſima manu tua profectæ, ſed Latino etiam ſtylo exaratæ erant, acceptiſſimæ ſane fuerunt. Dubium hoc tibi forſan e diutur-

diuturno ſilentio meo videri poſſet. Scias igitur, Vir ſummopere venerande, me poſt reditum ab acidulis Swalbacenſibus, quibus per integrum fere menſem, Deo ſit laus! feliciter uſus ſum, tanta negotiorum ac epiſtolarum, ad quas reſpondendum erat, mole obrutum fuiſſe, ut quo modo emergere ac memet expedire queam, nondum plane diſpiciam. Tuæ utique literæ dulciſſimæ præ aliis alliciebant, aſt exſpectandum duxi, usque dum faſciculus a te benevole transmiſſus redderetur, ut concinnius ad illas reſpondere poſſem. Qui poſtquam ante tres dies advenit, ulterius in mora eſſe nolui, ſed ſex Ludov. aureos cum debita gratiarum actione perſolvendos curavi. Putabam quidem, me Bullingerianum opus integrum pro iſthoc pretio recepturum, curabis igitur, ſpero, ut quintum, quod adhuc deſit, volumen eo æquiori accipiam. Inventarium Helveticum nulli plane uſui eſſe poterit, niſi omnium citationum compendia, quod quam maxime a te contendo, in tabula quadam explicentur. Pro adjectis nummorum typis ac ſchediaſmate de bibliis Germanicis maximas utique tibi habeo gratias. Alterum prioris exemplum D. Majo Gieſſam transmiſi, qui ambabus, quod ajunt, manibus recipiet. Libellus de bibliorum editio-

 nibus

nibus Germ. non ſolum gratiſſimus fuit, ſed quam maxime etiam opportunus. Cum enim non ſpernendam variarum verſionum, quæ centenarium numerum attingit, imo ſuperat, collectionem hactenus fecerim, rogare te hac ipſa vice volebam, ut vetuſtiſſimam, quam poſſes, Helveticam, ac illam etiam, qua Rhæti vel Griſones lingua ſua vernacula utuntur, translationem comparares. Illæ, quibus jam gaudeo Helveticæ editiones, prodierunt Tiguri apud Froſchoverum 1531. et 1580 forma maxima. Aſt quo antiquiorem mihi curabis, eo gratior futura eſt. Indicem in Bullingerianos tomos non deſidero, quod meo exemplo exiguum vel nullum uſum ob paginarum diſcrepantiam præſtare queat. Fl. Joſephum quod attinet, exemplum ipſis nummorum ectypis ornatum habere vellem, ſi modo vel librorum, quorum hic Catalogum adiectum vides, permutatione, vel a Domino Scheuchzero, quem meo nomine ſalutabis, vel aliis horum ſtudioſis tibi ſatisfieri poſſit. Quod forte negotium optime et tibi et mihi cedet; ſin minus, ſolas, quas in meos uſus deſcribis, notas exſpectabo, ac illa, quæ exigis exemplaria, ſi certior factus fuero, transmittam. Gallica Flavii per d'ANDELLY facta verſio non niſi durantibus nundinis a bibliopolis Belgis haberi poteſt

poteſt, ac octo uncialibus vel imperialibus venit. Quod S. Gallenſium ſpoliorum numerum indicaris, rem ſane gratam feciſti, gratiſſimam vero præſtares, ſi ipſos hiſtoricorum ſolum codicum titulos aliquando dare poſſes. Si SVIZERI Chronicon forte fortuna in manus tuas incideret, inſigne mihi præſtares officium, ſi æquo illud pretio mihi acquireres. Ejus Chronologiam æque ac Rahnii hiſtoriam mea jam ſervat bibliotheca, quemadmodum etiam Anti-Baronianam J. H. OTTII Hiſtoriam, in quantum typis exſcripta eſt. Lætor quam maxime, quod operis continuatione gaudeas. Velim autem hæc ex te ſcire, 1. an ab ipſo priorum ſeculorum authore ſit? 2. Num ille parens vel cognatus tibi fuerit? 3. Quænam reliqui operis quantitas? et 4. Num illud publici juris faciundi tibi ſit animus? Quæ omnia ut me edoceas rogo, ac te valere jubeo. d. 12. Sept. 1716.



CLXXII.

CLXXII.

JO. BAPTISTA OTTIVS.

Filius meus in Anglia nunc degit, forte primo vere ad vos aut in veſtram viciniam, ſi Deus dederit, venturus. Catalogum cum DD. SCHEVCHZERIS fratribus communicabo, uterque Medicinæ Lauream habet, natu minor nunc bibliothecarii munere fungitur, quo ego olim functus eram; eſt autem illud apud nos nullius omnino emolumenti, ſed mere honorarium et vehementer operoſum. Non opus eſt ergo, ut alius Catalogus mittatur; iſte enim, qui ad nos miſſus eſt, erit amicis omnibus communicabilis. Jac. SCHEVCHZERVS, qui natu major eſt, deſudat in exactiſſimo Tractatu de Vita et operibus C. GESNERI edendo. Gaudeo Excell. T. habere J. H. OTTII Anti-Baronianos labores, in quantum typis ſunt editi; ſunt autem edita tria priora ſecula; ab eo tempore auctor, qui pater meus p. m. fuit, cujus etiam extat opuſculum in 8. de jure novo Papali, trigæ Theologorum Aug. Confeſſ. VEIELIO, SPITZELIO, ARNOLDO dedicatum.

Is

Is ipſe auctor A. 1682. ad cœleſtia vocatus, poſt ſe reliquit manuſcripta novem poſteriora ſecula Hiſtoriæ Anti-Baronianæ quarti laboris ſeu quartæ reviſionis, unacum indicibus requiſitis reliquis omnibus, quæ cum apud me in originali depoſita ſint, et præterea copia ejusdem laboris per amanuenſes facta ſit, diverſis tamen manibus, ego quidem propter diverſas alias et alius naturæ vocationes atque occupationes, ut illa luci darem, prohibitus fui; noſtri enim typographi magnis operibus edendis non operam dant, remotis autem illud per characterum difficultatem atque alias cauſas confidere nolebam; exſpectans illud temporis, quo poſſet filius otio majore vel hic vel alibi iſtam in ſe curam ſuſcipere, et, quod ſupra monui, proximis diebus vel menſibus Wezlariam tendet, in qua vicinia ſi de hoc ipſo propoſito cum typographis Francof. aliquid tranſigere poſſit, fiet mihi res grata, ac ipſi mora non injocunda. Reliqua ita ſunt comparata, ut poſt illum tomum impreſſum, qui tria priora ſecula complectitur, novem illa poſteriora, usque ad duodecimum incluſive, adhuc tres ejusmodi tomos conficiant. Sæculum quodvis ſuum habet indicem, et generalis denique adeſt in omnia duodecim ſecula index. De publici juris faciendo opere

opere ante filii ex Anglia reditum constituere nihil possum; illud saltem significare, quicquid est, typographi, non meis sumtibus imprimendum, et transactione exemplarium justorum omnia confici posse. Inquisivi nuper in SVICERI Chronicon MS. quod idem IV. Volum. in fol. (*) apud quendam extat. Primum quidem habet paginas 657. *und geht von Abtheilung der Erden und ersten Anfange bis ins Jahr 1262. halt in sich 4. Bücher. Das zweyte volumen hat 974. Blat, halt in sich 4. Bücher von An. Interregni bis auf den Anfang* des Eidgenoss. Bundes 1500. *Das dritte volum. ist eine Continuation des vorigen; Begreift die Rettung der Eidgenoss. Freyheit, hat 910. Blatter. Das IV. Volum. ist ein* singularer Tomus *von Maylandischen Kriegen, hat 487. Bl. alles ohne die* Indices, *die schœn sind. In allem 3028. Seiten, nebst den* Indicibus. *Der Band ist in Pergament, in etwas gebraucht, und macht gegen die 800. Bogen.* Hos possessor æstimat 55. florenis nostratibus, nimirum octo Ludovicis aureis. In isto Catalogo, qui præter priora mere physica habet, nil conspexi præter HENNINGII Theatrum Genealog. quod maximo

ponitur.

(*) vid. Bibliothecæ Vniversalis Vffenbachianæ Tom. III. p. 350. sq.

ponitur. MEIBOMII Pſalmi Davidis ſint-ne integri et quomodo conſtituti, ſcire vellem; vidi enim aliquando ſpecimen Criticarum iſtius auctoris notarum, in quibus pro lubitu omnia corrigit, et emendat non tantum Codices, ſed ipſum etiam verum Textum. Volumen illud quintum Bullingerianum proprie non quintum eſt, quatuor enim illa volumina pro toto opere accepta, rata, habita hactenus fuere, ſed eſt iſtiusmet operis alia facies, et earundem rerum alia ſuſcepta alio tempore tractatio, non continuatio ejusdem operis, ubi præcedentia 1532, aut 1533. in ipſa Reformatione ceſſarunt. Ad reliqua Epiſtolæ Excell. T. mihi jam quidem reſpondere non licet. Biblia Tigur. 1525. quæ in medio Prophetarum habent 1529. ſunt rariſſima, et maximi veneunt. Biblia Tig. 1667. et poſtea edita continent verſionem Theologorum noſtrorum novam. Adeſt in auctione quadam Pſalterium 4. linguar. Col. 1518. pro Thalero Belgico, quem nos Ducatonem appellamus. Quæ ad verſiones et editiones Bibliorum a noſtratibus factas pertinent, ea ante aliquam multos hos annos ad celebrem le LONGIVM miſi, qui præcipua meorum ſcriptorum operi ſuo, cui titulus, *Bibliotheca ſacra* inſeruit. XVI. Sept. MDCCXVI.

CLXXIII.

CLXXIII.

JO. BAPTISTÆ OTTIO.

Seniorem Dn. SCHEVCHZERVM vitam GESNERI ſcribere impenſe gaudeo, quod præſtantiſſimum hunc virum maximi ſemper et ſuo quidem merito fecerim. Vere Polyhiſtor et primus omnium extitit, qui in hiſtoria literaria et libraria ſolidi quidquam molitus fuerit, opere ſcilicet Bibliothecæ ac Pandectarum nunquam ſatis laudando. Unam alteramve optimi hujus viri autographam in meis, ſi recte memini, Epiſtolarum voluminibus poſſideo, quarum apographas, ſi forte annectere Dn. SCHEVCHZERO viſum fuerit, lubentiſſime transmittam. Quod ſi per filium reliquum laborum in BARONII Annales publicæ luci dares, faceres non ſolum, quod pietas in optimum parentem exigit, ſed inſigne etiam orbi literario præſtares officium. Quod ſi noſtris in oris, utinam ventis ac fortuna ſecundis! appulerit, in eo, de quo ſcribis, cum noſtris typographis negotio ſtrenue adjuvabo, licet, num feliciter ceſſurum ſit, addubitem, cum inertes et ad ſuſci-

ſuſcipiendum aliquod opus ineptos ac pene invalidos noverim. Suicerianum Chronicon acceptiſſimum foret, ſi permutatione poſſit haberi. Parata enim pecunia iſtud comparare jam non libet, cum tantos nuper in Helveticam hiſtoriam ſumtus fecerim. Fortaſſis æquiori etiam pretio in poſterum occurret. HENNINGIS Genealogicum Theatrum inter rariſſimos merito libros numerandum eſt. Ne vero iniquum ipſi a me pretium ſtatutum exiſtimes, ſcias bibliopolam quendam ArgentoratenſemComitis Fürſtenbergii Ephoro pro centum uncialibus nuper vendidiſſe, quod pretium etiam Germanus in Acad. Argentoratenſi ſtudiis operam navans obtulerat, quod ego tum recuſabam, quod alterum, quo nunc gaudeo, manu viri docti emendatum ac inſigniter novis etiam tabulis auctum exemplum nondum obvenerat. Iſtud vero, quo nunc carere poſſum, nitidiſſime compactum eſt. MEIBOMII Pſalmi iidem ſunt, quos te vidiſſe ſcribis. Plures non edidit, quod ſpecimen hoc ac novam interpungendi rationem doctis minime probari animadverterit. Bullingerianum Tomum quintum, licet ad priores pertinere non videatur, data tamen occaſione mihi comparabis. Bibliorum verſiones et editiones Helveticæ quo antiquiores eo gratiores mihi erunt, licet

partes ſolummodo ſint ſeparatim, ut proximis ab artis typographicæ inventione ac repurgatæ religionis annis factum, editæ. Pſalterium quadrilingue me jam poſſidere exiſtimo. Nuper demum in nundinis offendi biblia illa, ob facetam de mulieribus verberandis gloſſam famoſa an. 1499. ling. Saxonica vet. *Platt Deutſch* edita. Priorem illorum partem jam olim nactus eram, ac alia ridicula in illa gloſſemata annotaveram, nunc vero integra adeptum me eſſe lætor. Doctas tuas in le LONGII Bibliotheca ſacra obſervationes ſumma cum voluptate legi, nunc vero a te profectas eſſe libenter audio. Servet te Deus in Eccleſiæ emolumentum ac Reipublicæ literariæ ornamentum quam diutiſſime. d. 29. Sept. 1716.

CLXXIV.

JO. BAPTISTA OTTIVS.

Mitto ad Exc. T. per ſpectatiſſimos Schinzios faſciculum, in quo eſt Fl. Joſephus

phus editionis Latinæ Geleniano-Frobenianæ, Germanicum exemplar, ut quisquam alius mihi ſignaret, ex meo non reperi, vel moleſtiorem hunc laborem prædicantes, vel non docti hoc inſtari; itaque vides ex eo primum illum meum laborem et varium, vario tempore, genere et genio, neque purum ſed maculatum *le brouillon.* Rem tamen continet. Adduntur duæ ſchedæ, quæ numiſmata non exhibent, ſed tamen oſtendunt iis, qui in hoc genere aliquid præſtiterunt. Reliqua nondum abſolvere potui, mittam, quum primum abſolvero. Extant præterea eodem faſce ſcripta tomi illius extraordinarii BVLLINGERI, variis manibus tandem corraſa, Index non comptus, perutilis tamen et multi laboris. Adeſt Cormieri Codex Henrici IV. Reliqua, quæ adduntur, ſaltem ad ſupplementum illius lateris, quod in quarto eſt, ut faſcis ejusdem quaſi ſtructuræ evadat, addita ſunt inter ea confeſſio Helvetica, non niſi ob manum BVLLINGERI noſtri, quæ in fronte libri conſpicitur, quum videam, te illius ſcripta habere, iisque delectari; Quædam inſuper diſputationes ſoceri mei p. m. quarum una de pœnis puerorum etiam in Juridicam facultatem incurrit, et valde curioſa, apud nos etiam ob triſtia facinorum exempla neceſſaria fuit:

Quædam Helvetica ad cognoſcendum ſtatum Toggenburgicum et cauſam S. Gallenſem etc. Illa minuta non cenſentur, BVLLINGERI Tomus, Joſephus, et Cormierus Ludovico aureo et dimidio æſtimata ſunt; quod manu patris mei additum eſt, ideo ſaltem factum, ut inde cognoſceretur ejus character. Ita enim totum opus Anti - Baronianum ſcriptum extat. Nomina integra literarum ſcire aves, ad quæ reſpicitur in indice Helvetico generali. Nomina illa cernes in voce *Bücher*. Sed reſpicitur profecto ad Codices non manifeſtos et communicabiles, ſed maximam partem latentes in Cancellariis, ſecretioribusque Ampl. Magiſtratus ſcriniis. Biblia Rhætica jam Curiæ Rhætorum de novo imprimuntur, de quibus ſi tibi videatur ad Virum Clariſſimum Nic. Zaffium loci paſtorem ſcribam; prior illa editio *d'Engadina Baſſa ſtampata in Scuol* non amplius extat; hæc enim non tantum editionem, ſed et verſionem novam habet. Parum abfuit, quo minus eodem faſce ad te mitterem Biblia in memoriali litera C. ſignata, id vero non auſus ſum, niſi prius de voluntate tuæ Exc. certior eſſem; ſunt rariſſima, et rariſſime et cariſſime inveniuntur, et niſi cita et velox reſponſio dabitur, in alienas manus venient: quid ergo fieri velis, mihi ſignificabis.

ficabis. Pro officio Wetzlarienfi habeo Excell. T. magnas gratias. Ut rotunde dicam, quod res eft; videbatur Paftor Reformatus illius ecclefiæ promovendus effe in Marchiam a Directorio Berolinenfi, quo in cafu aliquid de filio meo pro fucceffione Wetzlarienfi profpexiffem, fed manet hic quidem fuo loco, et filius meus in Anglia, nec ante folis vernum reditum redibit. Suicerianum Chronicon poffeffor noluit permutatione, fed auro divendi. Excell. et Amplifs. CHAMBERLAIN in Anglia, qui orationem dominicam πολύγλωττον edidit, jam poft le LONGIVM Parifiis dabit memorias omnium biblicarum editionum. Biblia Lutheri *Platdeutfch* etiam nos habemus. Le LONGIVS nunc parat Bibliothecam Hiftoriæ Gallicæ longe prolixiffimam, memoriasque ad hoc ex toto fere terrarum orbe colligit. XII. Calend. Jan. MDCCXVII.

Memoriæ pro D. ab VFFENBACH.

SCHEVCHZERVS nofter maximæ benevolentiæ loco reponet, fi quæ GESNERI noftri Epiftolæ cum ipfo communicabuntur, nunc enim ut audio in ipfa Germania ipfius vita prolixior et epiftolæ

anecdotæ imprimuntur. Ipse hæc sua mittit, alia non amplius possidet.

Est apud nos vir prudens et patricius Reique publicæ nostræ decus eximium, qui pro se juribus operam dedit, qui per me quærit, quinam recentissime et succincte de jure publico scripserit; ipsi supra alios placet COCCEJUS. Vellet et cognoscere, quis Compendium Casuum in jure elegans dederit.

Inveni bina exemplaria Biblior. Germanicorum, alterum ante Reform. 2. Tomis Aug. Vind. 1477. nitidum, non maculatum, integrum, et alterum aliquot Tomulis in 12mo mox post Reformationem lingua Germanica, charactere Latino Tigur. impress. 1529. nec non versionem ut opinor Lutheri Germanicam Bas. 1523. in 8. datam, simul 15. Thaleris seu imperialib. descripsi autem ex illa Bibliotheca Catalogum integrum, ex quo, si de quibusdam videatur, me Exc. T. cito monere poterit; auctione enim mox distrahentur, et Biblia illa prisca multos deperitores habent.

Cormierum de jure Gallico cum Germanico collato adeptus sum semithalero.

Ulmæ

Vlmæ Suevorum prodiit Charta Germanica invitatoria ad nova literaria illic edenda, ubi ſi quis ex parte Germaniæ ſuperioris quicquam habeat, quod communicet, ea dirigere poſſit ad Wolfg. *Schuhmacher* Librarium ibidem. Neſcio an inde a charta invitatoria ſpecimen aliquod prodierit.

Catalogum impreſſum Bibliothecæ noſtræ publicæ curatoribus tradidi, eumque etiam cum aliis communicavi, ſed quum fere naturalium rerum ſcriptores contineat, non reperi, qui aliquid ex eo velit, quenquam; ſcripſeram de Henningio, quem ego quidem habeo, et novi, quod rariſſimus ſit, cuique ex incendio Magdeburgenſi pretium acceſſit, ſed reliqui Bibliothecæ Præſides hoc quidem pretium horruerunt, unicus erat, qui diceret, ſi primum conſpiciendum haberemus librum ſingulariter deſcriptum, quot non tantum Tomos, ſed etiam ſchedas contineret, ex meo enim exemplari fidem non hauſerunt; vidi etiam alibi eſſe aliquid differentiæ in forma libri. Fiunt ſæpe librorum ſeu Bibliothecarum expurgationes, aliam ejusmodi exhibebit Catalogus cum libris proxime veniens, ex quo Biblia ſupra dicta deſumta ſunt.

De ſcriptis Anti-Baronianis non poſſum, etiamſi maxime vellem, et per tempus et per abſentiam filii, qui adhuc apud Anglos hæret, nec facile ex illis Athenis avellitur, aliquid ſingulare vel categoricum ſignificare. Quæ ergo menti occurrunt, dicam. A. Copia Manuſcriptorum inde a quarti ſæculi initio usque ad duodecimi finem tertia parte tanta eſt, quanta fuit tomi primi impreſſi, qui continet tria ſæcula priora, ita, ut, ſi integrum opus reimprimendum eſſet, quatuor magna et juſta volumina evaderent: vel duo aut tres magni tomi in folio. B. Adeſt in integrum opus Index Alphabeticus et locorum Script. abſolutiſſimus, qui non paginas notat, ſed directus eſt ad annos et annorum paragraphos, et vice locorum communium hiſtoricorum ſervire poteſt; is index ſolus juſtum volumen in 4. conficit, fueruntque viri graviſſimi, qui arbitrarentur, optime factum iri, ſi is ipſe index primum ſpeciminis et invitationis loco ederetur, unde de reliquis voluminibus judicium ante ferri poſſet, aliis aliter viſum, quod nemo indicem ſolum coemturus ſit, cæterum hic index ſi reliquis ſcriptis jungatur, faciat tomum in quarto quintum. C. Non poſtulat poſſeſſor quicquam argenti, ſed tranſiget pro aliis libris, aut, quod maximum eſt, numero exemplarium illius iſtius

operis,

operis, quod æquum videbitur. D. Vix posset imprimi opus non præsente filio meo, propter characterem; illi enim avi manus apprime est cognita, mitto illius characteris specimen. Unde necessum esset, istum articulum exactius examinare, et de commoda commoratione esse solicitum. Spero autem, ad nundinas vernales illum ex Anglia per Belgium ad eas partes venturum: nisi aliter Providentiæ Numinis supremi videatur.

Manuscripta profecto nulla reperi permutatione venalia, adest eximius Codex Chronologicus in fol. MS. per tabulas ab initio mundi usque ad amplum progressum sæculi præteriti; missale pergamenum antiquum ex bibliotheca Abbatis S. Gallensis in 4to. Codex Membranaceus Regularum Ordinis S. Benedicti Lat. et Germ. Fisleri Carmina in proverbia Salomonis 8vo in charta. Et tandem tomus iste Bullingerianus, qui nondum inter tuos extat, decem florenis nostratibus æstimatus, si illi libri junctim pro Henningio videantur satisfacere, est mihi data potestas transigendi, sin minus hic Codex ultimus habebit pretium.

CLXXV.

JO. BAPTISTÆ OTTIO.

Advenerunt tandem longe exoptatæ literæ tuæ, atque omnes, quos longior mora injecerat, ſcrupulos exemerunt. Triſtior enim animum ſubierat metus, ne proſpera minus valetudine fruaris, quem irritum fuiſſe quam maxime lætor, atque ex intimo pectore precor, ut non ſolum novo, qui paucos intra dies, utinam feliciter! nobis illuceſcet, anno, ſed multis etiam conſecuturis proſperrima gaudeas, ac indies novis divinæ benedictionis donis perfruaris. Faſciculum, quem ad me perferendum dediſti, nondum vidi. Scias autem, omnia, quæ eo continentur, acceptiſſima futura. De receptione illicò certiorem te reddam, pretium vero, quod exigis, proxime, ſi alia acceſſerint, ac paulo major evadat ſumma, perſolvi curabo. Quod niſi brevi accidat, vel aliter videatur, ſtatim fiet. Bibliorum Rhæticorum novam editionem, ſi vetus illa haberi nequit, ut compares rogo. Quod vero veterem illam Germanicam verſionem non ſtatim transmiſeris,

feris, sed prius de illa ad me perscribere volueris, optime sane fecisti. Illa ipsa enim editione jamjam gaudeo, quæ non sine sumtibus ac molestiis remittenda fuisset. Consultum igitur erit, ut nil ad me, nisi de quo cum adjecto etiam pretio monueris, mittas. Spem vocationis filii tui charissimi Wezlariam decollasse doleo, cum exoptatissimum mihi certe fuisset, si filius tuus, quem paternæ virtutis æmulum credo, in vicinia nostra morari potuisset. De Suiceriano Chronico infra dicam. CHAMBERLAYNIUM novam editionum biblicarum collectionem moliri lubens audio, le LONGIUM enim in tam larga messe magnum spicilegium reliquisse constat. Quod Anglus ille omnium optime præstare poterit, cui tam multæ ac tam insignes, quibus Britannia præ omnibus aliis Europæ partibus gloriatur, patent Bibliothecæ. Le LONGIUS vero etiam habebit, quibus Celeb. du CHESNE ac aliorum labores augeat. Nunc ea, quæ in schedula notasti excutiam, ac ad singula respondebo GESNERI epistolas, quas habeo, diligenter descriptas Noribergam ad Dn. Geyssel transmissurus sum, cui ut jamdum per Dn. Kisnerum petii, Dn. SCHEUCHZERUS significabit, quo loco ponendæ erunt. Ad quæstionem viri patricii quod attinet, paucis

paucis me expediam, licet prolixiorem responsionem exigeret. Acu rem tetigit, quod illustris COCCEJI juris publici compendium inter præstantissima numeret, optandum tamen foret, pluribus majorem lucem affudisset. Ast omnia hujus viri nimia brevitate ac styli etiam obscuritate laborant. Quare ego Celeb. HERTII scripta pluris semper feci. Inter compendia veronon ultimo sane loco ponenda putarem SCHILTERI Institutiones, Germanicum illud syntagma, quod aliquoties Lipsiæ typis exscriptum sub tit. *Teutsche Reichs-Staat*, BRVNNEMANNI Jus publicum; ac quod nuper demum publici juris fecit ac notis illustravit Zschackewitzius. Licet, ut verum fatear, omnibus numeris absolutum compendium inter pia adhuc eruditorum desideria referendum sit. Qui Casus in jure collegerint, Lippenius et alii recensent, quos exscribere nolo; omnium præstantissimi mihi videntur a Viviano Tuschio Genevæ editi. De Bibliis jam dixi, me Augustana jamjam possidere, quod si vero Tigurina an. 1529. et Basileensia 1523. minori forma edita æquo haberi poterunt pretio, rogo, ut illa mihi compares. De novis literariis Ulmensibus nil adhuc vidi, licet omnia diaria, quæ vocant, literaria studiosissime hactenus collegerim, adeo

adeo ut in tantam jam molem excreverit collectio hæc mea, ut plurimorum doctorum etiam virorum bibliothecæ pluribus non constent voluminibus. Dum enim librariam pararem supellectilem, hi, qui aliorum notitiam præbent, præ cæteris erant comparandi. Licet fatendum sit, copia nos laborare, ac plures singulis mensibus apparere censores, quam præstantes toto anno libri, qui vel recensione vel eruditorum virorum perlustratione digni sint. Ut de plurimorum laborum menstruorum sordibus ac nævis nil dicam. Videbimus, quid Suevi præstituri sint. Foliorum Henningiani operis designationem ob temporis angustiam dare jam nequeo. Faciam id proxime. Diversis, vero formis exscriptum esse Theatrum me plane latet. Bina exempla mea, ac quotquot unquam videre contigit, eadem et quidem forma, quam Folio vulgo nuncupant, sunt. Oblatam vero permutationem ratihabere minime possum. Quæ enim offeruntur, vix tribus Ludovicis aureis æstimaverim. Chronologia recentior est, quarum bene multas typis vulgatas habemus. Missale nullius plane pretii est: Innumera colligere potuissem, si talibus bibliothecam onerare volupe fuisset. Cistas maximas his repletas huc deferunt Colonienses, et alii

in

in nundinis, ut bracteatoribus ac aliis operariis Norimbergam ac Augustam Vindelicorum transmittantur. Sedulo illa perquirere soleo, num meliores aliquot Codices veteres membranaceos inter illa deprehendere queam. Quod non raro quam felicissime cessit. Reliqua parvi sane momenti sunt, si Tomum Bullingerianum excipias. Quod si vero Suicerianum Chronicon a possessore redimatur, ac his quatuor MStis, nam Missale plane renuo, addatur, Henningis opus dare constitui, licet hæc omnia statutum in Catalogo pretium minime æquent. Meo enim calculo vix undecim vel duodecim Ludovicos aureos conficiunt, Theatrum vero, ut jam nuper perscripsi, pro viginti Argentorati, a Bibliopolis vero nostratibus sæpius pro septendecim ac pluribus venditum sit, nec infra centum florenos venire soleat. Specimen scripturæ B. Dn. Parentis librariis nostris monstrabo, ac de Anti-Baroniano opere illos certiores reddam, ut filius charissimus, si, utinam bonis avibus! ad nos adpulerit, cum illis eo facilius transigere queat. Prolixæ epistolæ finem facio, ac te valere jubeo. d. 29. Dec. 1716.

CLXXVI.

CLXXVI.

M. JO. GVIL. KIRCHMAIERVS,
Paſtor primarius Heidenheimenſis *am Hahnen-Kamm*, in Marchionatu Brandenburgico-Onoldino.

Librorum manu exaratorum pretioſus apparatus, ſic dicta Bibliotheca Manuſcripta, Clementiæ veſtræ, anno præterlapſo in lucem publicam editus, non magis admirationem, quam obligationem apud omnes bonos liberalium artium cultores meretur, quibus et ego præter meritum annumerari velim, qui veſtra plane ſingulari clementia confiſus ex tali fonte inexhauſto ſitim meam explere avidiſſime cupio.

Parte enim quarta, volumine LXXVI. numero LIII. p. 37. laudatæ Bibliothecæ obſervavi recenſionem quandam hiſtoricam de vita S. Walpurgæ Virginis, quam hactenus undique ſtudioſiſſime exquiſitam hiſtoriæ nondum convenientem inveni. Ad hujus contemplationem duplici quaſi cauſa compellor, partim ex ſtudio veritatis hiſtoricæ, partim ex opportunitate

te loci, qui in Cœnobio et Foro, quo dictæ Walpurgæ corpus ſepulturæ traditum eſt, officio paſtorali fungor.

Ex ea autem cauſa forſan aliquis teſtimonium optimum a me expectare vellet, ſed ut dicam, quod res eſt, documenta noſtra in hoc paſſu neque ſibi invicem, neque hiſtoriæ, meo quidem tenui judicio, reſpondent. Cardo hujus hiſtoriæ in hoc vertitur, in Templo noſtro Cœnobiano, antiquitate et amplitudine præ cæteris celeberrimo S. Walpurgæ, ſic dictæ Richardi Regis Angliæ Filiæ olim dicato, ſpectatu dignum eſt monumentum ſepulchrale dictæ Walpurgæ, circa cujus tumulum ex lapide quadrato conſtructum cum ipſius effigie togata, lapidi inciſa, hæc verba exſculpta extant:

SEPVLCHRVM S. WALPVRGIS
1484.

Et in ſuperſtructo monumento quondam magnifice in altum elato, quod inconſiderate modernis temporibus per anteceſſorum meorum quendam maximam partem ex defectu ſubſelliorum deſtructum eſt, juxta picturam incompactam effigiei Patris et Filiæ verba: S. WALPVRGIS FILIA RICHARDI S. RICHARDVS REX ANGLIÆ. Præterea circa monumentum

mentum æque ſpectabile ex cœmento exſtructum S. Wunibaldi cujus cineres, qua trunci in hoc Templo latent, (caput enim ejus in favorem Comitiſſæ cujusdam de Solms Onolzbachium transmiſſum eſt, vi literarum antiquiſſimarum ex tenebris erutarum, quæ in Archivo noſtro prætoriano ſervantur, quod de cadavere Walpurgæ ex defectu documenti vel minimi non adeo certum eſt, id qnod juxta BRVSCHIVM et alios jam circa annum 870. conſenſu Pontificis Adriani II. per Dominum Odogerum, Epiſcopum Aichſtadienſem VI. de tumulo levatum, ex templo Heidenheimenſi Aichſtadium translatum ferunt) ſubſequentia notatu digna verba lapidi per circulum inſcripta leguntur: *Abbas hic Wunibaldus, Richardi Filius almus, Regnum Anglorum mox linquens, hoc Monachorum clauſtrum fundavit, Benedictique normam rigavit, ſeptingenteſimo quinquageſimo decimoque fere anno 1483.* Mihi autem pridem dubium enatum eſt: an et qualis hic fuerit Richardus. Hactenus enim nullum Richardum inter Angliæ Reges, qui Sec. VIII. imperio præfuerit, invenire licuit. Fundamento igitur fabuloſo, ut mihi quidem videtur, nituntur autores v. c. Serarius, Surius, Bolandus, Caniſius et alii, qui monumentis prodiderunt, Walpurgam, Wunibaldum, et Wilibaldum S. Richar-

di, Regis Anglorum, prolem fuisse. Ut taceam, quod etiam Richardus I. Sec. XII, nulla prole ex se suscepta, obierit, quod seculum probabiliter hujus Cœnobii natale est. Inanis igitur jactantia esse videtur, quod Walpurga ex regia prosapia fuerit prognata, et jam seculo octavo cum Wunibaldo hoc Cœnobium Heidenheimense pro utroque sexu constituerit. Nostra enim monumenta seculo demum decimo quinto secundum traditiones tum solitas posita sunt, quare etiam in illis refragante antiqua historia ex defectu aliorum documentorum firmiter inniti iniquum esset. Paucis abhinc annis spem alui Alvredi Beverlacensis Annales Anglicanos, studio Th. HEARNII Oxonii 1716. in octavo ex theatro Scheldoniano in lucem publicam forsan idiomate Anglicano, quod mihi ex parte annis academicis meis familiare reddidi, editos inspiciendi, qui ad annum 1129. se extendunt, in quibus absque omni dubio singuli Reges Anglicani, juxta diversum regiminis statum, cum prole et fatis recensentur, quos pretio non vulgari acquirendi nulla hactenus mihi facultas data fuit. Oleum igitur atque operam jam multis abhinc annis in hoc negotio perdidi. Apparatu autem literario, quem Clementia vestra ad egregia doctorum virorum studia promovenda cum orbe

erudito ad ſempiternam illuſtriſſimi Nominis, nobilitate et virtute conſpicui, memoriam communicavit, denuo mihi ſpem facit, ut nihil magis in votis habeam, quam ut exemplar hiſtoriæ de vita Walpurgæ tuo beneficio nanciſci mihi liceat. Heidenhemii 1721. d. 27. Febr.

CLXXVII.
M. JO. GVIL. KIRCHMAIERO.

Citius equidem ad acceptiſſimas tuas reſpondiſſem, ſi per varia, quæ a Cæſareis, ut vocantur, Commiſſariis demandata mihi ſunt negotia licuiſſet. Rogandus igitur es, ne moram vitio vertas, vel de mea, quam publice tamen explicui, virorum doctorum adjuvandi voluntate ſubdubites. Lubens certe intellexi, opus atque inſtitutum meum nec tibi diſpliciuiſſe jucundum etiam fuit, quod in ipſo quidquam offenderis, quod tibi uſui eſſe queat. Tantum igitur abeſt, ut illud tibi denegare velim, ut potius, quam primum præ aliis occupationibus fieri poterit, deſcribi ſim facturus. Tu interim indica, qui ab Amanuenſi recipiat, atque ad te curet. Hoc vero monendus es, etſi vita S. Walpurgæ inſcribatur in Codice, attamen non niſi fabuloſam de miraculis narrationem eſſe, ut in Martyrologiis

logiis ac Legendis, uti vocantur, occurrere ſolent. Quare ſi facta hiſtorica ac fide digna appetis, fruſtra hic quæſiturus es. Immo ne pater quidem ejus, de quo ſollicitum te video, memoratur, ſed initio ſaltim dicitur, illam unacum Bonifacio et aliis ſanctis ac fratribus Angliam, patriam, deſeruiſſe. En verba ipſa: *Duo quoque fratres religioſiſſimi, Willibaldus et Wuniboldus, Chriſti confeſſores, cum caſtiſſima ſorore Walpurga ab amorem cœleſtis patriæ peregrinari cupientes in ſuperioribus Franciæ partibus ad Heyſtettenſis Eccleſiæ locum pervenerunt etc. Alter vero Wuniboldus etc. Locum qui dicitur Heidtlandtheim* (ita enim in Codice locus legitur ſcriptus) *cum ſorore Walpurga ad inhabitandum elegit etc.* In ſequentibus breviſſime narratur, quod fundato ab ipſis monaſterio Walpurga mortua, atque a fratre ibidem fuerit ſepulta, quia miraculorum per ipſam perpetratorum plauſtra ſubſequuntur. Quod vero nulla originis mentio fiat, conjici poſſet, non tam illuſtri ſtirpe illam fuiſſe oriundam, quæ ſi regia fuiſſet, maxime in hoc ejus elogio celebrata fuiſſet. Non injuria igitur de fide Serrarii, Surii, Caniſii, atque ipſius etiam Bollandi dubitas, qni ultimus, etſi majori utique ſtudio vitas ſanctorum ſit aggreſſus, ac multa aliorum figmenta ingenue rejiciens, non ſine varia eruditio-

ne

ne ſanctorum vitas exponere niſus ſit, ſcorias tamen bene multas, ſi ad ſplendorem aliquem ſanctorum ſuorum facere videbantur, retinuit, ac ut Pontificii ſolent, miracula ac mirabilia quamvis plerumque anilia atque futilia tueri quovis modo ſtuduit. Ego certe de hoc S. Richardo Rege nil hactenus in fide quidem dignis ſcriptoribus invenire potui, etſi veteres Angliæ ſcriptores hiſtoricos a Camdeno, Twysdeno, ac Thoma Gale publici juris factos, atque eos etiam, qui duobus tomis e theatro Scheldoniano An. 1684. et 89. editi ſunt, evoluerim. Alvredi annales, qui Th. Hearnii cura prodierunt, nondum poſſideo. Exiſtimaram vero, me in Uſſerii Britannicarum Eccleſiarum antiquitatibus vel ſimilibus ſcriptoribus quidquam de S. Richardo fore reperturum, aſt fruſtra. Quæ in Lexico Sanctorum lingua Germ. ſub tit. *Heiligen Lexicon.* Lipſiæ ante biennium edito de S. Walburga col. 2323. et de S. Richardo col. 1892. aſt ſine teſte narrantur, procul dubio legiſti. Quodſi adhuc in aliis notatu digna forſan deprehendero, certiorem de illis te reddam, tu vero rem mihi præſtabis gratiſſimam, ſi utpote antiquitatis ac Hiſtoriæ ſtudioſus MSS. nonnulla ejusdem argumenti poſſideas, de iis me edoceas, quod iisdem impenſe delecter, atque omni ſtudio talia nuncupari ſoleam. Qua-

lis meus, quem gratia divina hactenus comparare licuit, sit adparatus, ex altero Catalogi Tomo, qui prælum Deo volente mox subiturus est, perspicies. Quodsi tibi quoque videatur, honesta inter nos communicatio vel, ut magis latine dicam, permutatio fieri posset. Cæterum laudo tuum in pervestigandis antiquitatis monumentis studium, utque in eo strenue pergas, non modo suadeo, sed vitam tibi viresque a supremo Numine et quidem ex animo adprecor. 1721. d. 21. Martii.

CLXXVIII.

A Monsieur BOYET, Bibliothécaire de S. A. S. le Prince EUGENE de Savoye.

Après les assûrances favorables que Mr. Ochs m'a fait de Vôtre part, je prend la liberté

(*) Vt varietas delectet, epistolas quasdam Gallice scriptas, speciminis loco hic exhibere visum est. Fortassis dabitur aliquando occasio, singularem istiusmodi collectionem evulgandi. Adsunt enim insignes epistolæ hac lingua scriptæ Maturini Veissier la CROZE, Gabr. DUMONTII, Jo. Benedicti GENTILOTT ab Engelsbrun, Caroli Steph. JORDANI, Jacobi LENFANT, Dominici PASSIONEI Card. Jo. Friderici SCHANNATI

liberté de m'addreſſer a Vous par le préſente pour ſatisfaire ma curioſité, que j'ay euë depuis long têms de m'informer de l'état de la Bibliotheque magnifique de S. A. le Prince de Savoye, donc je m'ay fait une idée digne de la grandeur de ce Prince incomparable. On m'a aſſuré, qu'en ce riche tréſor il ſe trouve entre autres une grande quantité de ces livres rares, qui l'on appelle *Libri vulgo prohibiti vel ſuſpectæ fidei.* J'ai fait des ſemblables une Collectión aſſez conſiderable, et je m'eſtimerois tres-heureux, ſi je pourrois fournir quelques pieces curieuſes, qu'ils pourroient manquer.

Je Vous préſente deux Liſtes l'une de mes doublettes que je pourrois ceder, et l'autre de quelques livres des plus rares, que je poſſede tant MS. qu'imprimé, donc je fournirois tres-volontier des copies, ſi je pourrois me flatter d'obtenir en échange de ſemblables copies de quelques uns qui me manquent. Je cherche depuis long tems quelsques ouvrages de P. Aretin, ſur tout les quattro Libri della humanita di Chriſto, Venet. 1538. Vous me feriez, Monſieur, un plaiſir tres-ſenſible de m'apprendre, ſi ce Livre eſt dans la Bibliotheque

---

NATI Jo. Baptiſta du SOLLIER, etc. quibus ſingulis eodem ſermone reſpondit b. VFFENBACHIVS.

de S. A. et si Vous vouliez avoir la bonté de me procurer une Liste des autres pieces des plus curieuses de cette nature qui s'y trouvent. Mr. Ochs me parle d'un MS. sous le tître de Theophrastus redivivus. Je serois bien aise de sçavoir si c'est un Livre d'Alchimia, ou de quelles matieres il traite. Je ne sçay si le premier Volume du Catalogue de mes MSS. se trouve dans la Bibliotheque de S. A. ou s'il y pourra meriter place. J'en ay fait tires peu d'exemplaires sur du grand papier, si Vous le jugez à propos, j'envoyeray un tres-volontier. à Francf. le 3. Aout, 1726.

MSSta nonnulla rariora in Bibliotheca Uffenbachiana existentia.

Anonymi de imposturis Religionum schediasma.

De tribus Impostoribus liber lingua Gallica.

Mich. Villanovani s. potius Serveti Christianismi restitutio, cum nonnullis epistolis ejusdem et aliorum ad eundem.

Jo. Bodini Dialogus Heptaplomeres.

Mut. de Bath de vera religionis inventione et forma.

Cymbalum mundi.

Stoffii Concordia rationis et fidei.

E. Sonneri Sociniani Cathechimus. Ej. Demonstratio.

A. Wissowacii Medulla historiæ Ecclesiasticae Socinianæ.

Petri

Petri a Morskow Morskowsky Idea Politiæ Ecclesiasticæ Socin.

Trithemii Steganographia, opus magicum anecdotum, et ab edita steganographia plane diversum.

Clavicula Salomonis.

Cabbalistica plurima.

l'Alcibiade fanciullo en scola di Pietro Aretino.

Dubbii amorose di Pietro Aretino etc. etc.

Libri typis exscripti.

G. Postello Vergine Venetiana Venet. 1555. 8. Libellus omnium rarissimus.

Ejusd. il libro della divina ordinatione 1555. 9. et alia ejus scripta.

Petri Pomponatii de immortalitate animæ. 1534. 12.

Gio. Boccaccio la Fiametta in Vinegia 1524. et alia ejusdem.

Jord. Bruno Spaccio della bestia, et cætera ejus scripta.

Th. Campanellæ Atheismus triumphatus Romæ, 1631. et Parisiis 1636. 4. et alia ejusdem.

Mirh. Servetus de Trinitatis Erroribus. 1531. 8.

Ejusd. Dialogi de Trinitate 1532. 8.

En edini explicatio locorum N.T. sine loc. et anno impr. quam plurima alia Socinianorum tam veterum quam recentiorum scripta.

oo 5 J. To-

J. Tolandi Chriſtianity not myſterious. Lond. 1696. 8. et cætera ejusd.
The Nacked Gospel. 1690. 4.
Ægid Guthmanns *Offenbahrung Gœttl. Maj. Hanau* 1614. 4. It. editio noviſſima Guthmanniana.
Corn. Agrippa de occulta philoſophia. 1537. fol.
Henr. Khunrathii Amphitheatrum. Hanoviæ, 1609. fol.
Roberti Flud a Fluctibus opera omnia. fol.
Franc. Georg. Veneti Harmonia mundi. Pariſiis, 1543. et alia ejusd.
Petri de Apono expoſitio in Ariſtotelem. Venet. 1505. fol.
Dav. Jovis Opera omnia. fol. 4. et 12.
Caſp. Schwenck feld opera omnia. fol. 4. 8. et 12.
Quackerorum ſcripta innumera.
Libri ſotadici ſeu obſcœni rariores etc. etc.

CLXXIX.
De Monſ. BOYET.

Pour repondre à l'honneur que Vous me faites de me demander une information de la Bibliotheque de S. A. S. mon Prince, j'ay celuy de Vous dire que n'excedant pas encore le nombre de 10. milles volumes, elle conſiſte particulierement en livres d'Hiſtoire et de belles

Lettres

Lettres, quoyqu'ie s'y trouve néanmoins les Livres necessaires de chaque faculté, outre une Collection d'estampes des plus complettes qu'il y ait en Europe, et des mieux conditionnées. Ce qui rend la bibliotheque de S. A. S. plus considerable, est le choix des Editions, pour lesquelles elle n'épargne rien, non plus que pour les livres rares qui se peuvent rencontrer, ou dans les auctions, ou autrement: le nombre des MSS, n'est pas fort grand, mais il y en a de tres-rares et fort curieux. Celuy, donc Vous me parler, qui a pour titre *Theophrastus Redivivus*, contient Historiam de iis, quæ dicuntur de Diis, de mundo, de religione, de anima, inferis et dæmonibus, de contemnenda morte, de vita secundum naturam, opus ex philosophorum opinionibus constructum. J'en connois une Copie dans la Bibliotheque de Mr. de Hohendorf que Sa Majesté Imperiale a acheté la quelle a éte fait sur l'Original que S. A. S. possede. J'ay examiné les deux Listes que Vous avez eu la bonté de m'envoyer, nous avons la meilleure partie des livres, qui y sont compris, mais celuy de P. Aretin qui a pour titre: Le IV. *Libri della humanità di Christo* nous manque. à Vienne le 17. Août. 1726.

CLXXX.

CLXXX.
A Monſ. BOYET.

Vous m'avez infinement obligé de ce que Vous m'avez fait l'honneur le plaiſir, de me donner une idée gènérale de la Bibliotheque de S. A. S. Elle eſt aſſurement tres-conſiderable et digne d'un ſi grand Prince. Jene m'étonne point que le nombre des MSS. ne ſoit pas encore fort grand, ſachant par experience les difficultez qu'on trouve à les acquerir. Je Vous envoye le premier Tome de mon Catalogus, qui Vous fera voir, que je n'ay épargné ni frays ni peines, pour en amaſſer une partie aſſez conſiderable. Ce volume ne contient pourtant pas la moitié de ma Collection; et les MSS. les plus conſiderable, ſurtout les hiſtoriques ne s'y trouvent point, ſi bien que le nombre de mes MSS. ſurmonte 2000. Volumes. Si l'on excepte la Bibliotheque Imperiale, celle de Wolfenbüttel et peu d'autres, on cherchera peut-étre en vain une telle quantité en Allemagne. Je Vous dis cela ſans aucune oſtentation, et même avec beaucoup de regret ſur la folie que j'ay eu de faire une celle Collection avec tant de peine et tant des frays. Car n'ayant point de fils et une conſtitution de corps aſſez foible, j'apprehende même avec horreur, qu'apres ma

ma mort elle sera dissipée miserablement. C'est pourquoy si j'avois une occasion favorable, pour la mettre en sûreté en quelque endroit illustre, je pourrois me resoudre de m'en defaire même en perdant la moitié de ce qu'elle m'a coutée, pour avoir le contentement de voir conservêe une Collection, qui m'est si chere, et je serois bien aise si elle pourroit donner quelque lustre à une Bibliotheque, d'un grand Prince, comme celle de S. A. S.

Le MS. de *Theophrastus Redivivus* me paroit par le titre fort curieux. Oseray je Vous en demander une Copie? Vous m'obligerez par là infinement, et je Vous promet non seulement de la menager, comme il faut, mais de communiquer en échange tout ce que Vous souhaiterez de moy. Vouz n'avez qu'à choisir tant dans le Catalogue imprimé que sur les Listes des MSS. que je Vous ay envoyé dernierement. Le MS. magique de Trithemius est fort curieux. On fait beaucoup de bruit de la Clavicula Salomonis, mais ce n'est rien en comparaison de mon MS. qui ne se trouvera point en la Bibliotheque de S. A. S. On m'a fait esperance de me procurer le *IV. Libri della humanità di Christo* de P. Aretin. Si je les reçois, Vous en aurez d'abord une Copie. Je ne doute qu'ie ne se trouve dans la Bibliotheque de S. A. S.

un

un certain MS. Latin ſous le titre de ſçymbalum mundi; je ſerois bien aiſe de ſavoir combien il aye des chapitres. Je n'en ay que deux, et il manque quelque choſe à la fin du ſecond. Ayez la bonté Monſieur de m'en éclairir. On m'a envoyé dernierement de Pologne deux MS. tres-curieux de Wiſſowatius et de Moroskowsky Sociniens Polonois, et j'attend tout le jour un MS. fort ſcandaleux ſur le Deluge par van der Hardt Profeſſeur d'Helmſtædt, qui a fait beaucoup de bruit. Si Vous en ſouhaitez des Copies, Vous n'avez qu'à commander. à Francfort, le 13. Septembr. 1726.

CLXXXI.
De Mons. BOYET.

Jl y a long-têms que j' aurois repondu à la Lettre que Vous m'avez fait l'honneur de m'écrire en m'envoyant le premier volume de Vôtre Catalogue, ſans une incommodité conſiderable, qui m' en a empêché, outre que je voulois en même têms vous rendre Compte de ce que vous me demandez du Cymbalum mundi, ce que je ne puis cependant pas encore faire, vu que je n'ay pu le trouver après la recherche la plus exacte qu' il m'a été poſſible d' en faire. Vous feriez ſans doute ſurpris, que je n'aye pu

pu trouver ce livre, si je ne vous disois que le vaisseau destiné pour la Bibliotheque de S. A. S. n' étant pas encore achevé, les livres ne sont pas en ordre, parcequ' ils sont en trois chambres distantes les unes des autres, outre que la plus part est encore sur le planché. J'ay fait neantmoins toute la diligence possible pour pouvoir Vous satisfaire, mais inutilement: j'espére que dans trois mois je pourray mettre les livres dans la nouvelle Bibliotheque, et que je pourray alors avoir le plaisir de Vous servir. A l'egard du Theophrastus Redivivus, le Prince l' a dans son Cabinet, et je ne sçay pas même, s'il voudra bien permettre que l' on en fasse une Copie. Je n' ay pas parlé à S. A. S. de la proposition que vous faites dans vôtre Lettre au sujet de la Collection de vos Manuscripts, parce qu' avant il seroit bon d'en sçavoir a peu près le prix. Si vous voulez me faire la grace, de me le faire sçavoir, je ne manqueray pas d'en faire la proposition. J' aurois infiniment de plaisir, que S. A. S. fit une acquisition de cette consequence; sa Bibliotheque déja recommendable par quelques Collections assez considerables, en auroit bien plus de nom.

J' attends à vous remercier de vôtre Catalogue, que je puisse le faire de la part de S. A. S. à qui je n'en ay encore rien

rien dit, ayant dessein de luy parler de tout en même têms, aussy bien que des offres obligeantes que vous voulez bien faire de Copies de quelques MSS. à Vienne.

CLXXXII.
A Mons. BOYET.

J'ay été bien aise d'apprendre que le Catalogue Vous a été bien rendu, mais je Vous plain en même têms qu'une incommodité considerable Vous a empêché de m'en donner cette nouvelle plûtôt. Veuille le bon Dieu Vous en garantir à l'avenir et vous conserver en parfaite Santé et toute sorte de prosperité. Il n'est pas bésoin de vous donner tant de peine touchant le Cymbalum; il sera têms de m'en informer, quand il vous tombera en mains par hazard. Cependant je souhaite de tout mon coeur, que la nouvelle disposition de la Bibliotheque de S. A. S. reussisse parfaitement. Je ne doute pas que cette illustre Bibliotheque ne soit déja trés considerable, sachant bien que tout ce que S. A. S. entreprend, ne peut étre que tres-magnifique; mais comme les Manuscrits donnent le plus de lustre aux Bibliotheques, une acquisition semblable ne manqueroit point d'eternifer la gloire et la memoire de S.

A. S.

A. S. dans la Republique des Lettres, comme elle eſt déja immortelle ailleurs, et a un comble d'honneur, que nul Heros ni de l'Antiquité ni de nos ſiecles a pu atteindre, par ſes grandes actions et exploits que tout l'univers admirera autant qu'il durera. Comme la Collection de mes MSS. conſiſte principalement en des pieces critiques, politiques et hiſtoriques, je me flatte qu'elle pourroit étre digne d'entrer dans la Bibliotheque d'un auſsy grand Prince. Je crois même vous pouvoir aſſurer ſans arrogance, qu'on ne trouvera peut-étre en toute l'Allemagne une Collection auſſy conſiderable, ſi l'on excepte celle de ſa Majeſté Imperiale, et peut-étre celle de Wolfenbüttel. Je Vous ay déja dit en ma precedente les raiſons qui m'obligent de me defaire de mes MSS. et que je me ferois un plaiſir tres-ſenſible, ſi je pourrois mettre en lieu de ſûreté une Collection qui m'a couté tant des frays et des peines, et qui m'a toujours été ſi chere, mais ſurtout que je m'eſtimerois tres-heureux, ſi je la pourrois conſacrer au ſervice d'un ſi grand Prince. C'eſt pourquoy je Vous ay infinement d'obligation, que Vous voulez bien en faire la propoſition. A ce fin Vous m'en demandez le prix. Mais, Monſieur, je craindrois d'offenſer par là la Generoſité de S. A. S. une des plus grandes qualitez et vertus, qu'on admire en Votre Prince S. d'autant plus qu'elle eſt ſi rare et

qu'il la possede en un degré si eminent. Je Vous diray donc seulement que cette Collection me coute en verité plus de vingt mille écus. Si je voulois mettre ces MSS. en vente publique, qu'on appelle Auctions en Hollande, je me pourrois flatter de n'y perdre beaucoup.

Mais j'ay eu l'honneur de Vous contester en ma derniére, que je ne pourrois me resoudre de les disperser, et que si je pourrois les mettre en fûreté et en si bon lieu, je me contenterois de la moitié de ce qu'ils m'ont coutés. Je les offre donc très-humblement et tout à fait à la Generosité de S. A. S. Cependant comme Vous exigez une declaration là-dessus, je Vous diray seulement, que sans faire une perte trop grande pour ma famille je ne pourrois me defaire de cette Collection à moins de douze mille écus. Un Volume MS. n'en reviendroit presque qu'à une Pistole, pour lequel il ne m'a que trop souvent fallu payer jusqu'à trente et d'avantage. Le premier Tome de mon Catalogue Vous fera voir, qu'il y en a de tres considerables, et le second Volume, qui comprend principalement les historiques, ne cede au premier ni en nombre ni en qualité des MSS. Je souhaiterois bien qu'il fut imprimé comme le premier, pour le pouvoir offrir à S. A. S. très-humblement, étant tout pret à étre mis sous la presse ; mais les fatalitez de mon Libraire l'ont empèché

pèché jusques icy. Si cela se pourroit faire sous le nom Auguste de S. A. S. je m'en ferois un tres-grand honneur et un plaisir inexprimable. à Francfort, le 4. Fevrier, 1727.

CLXXXIV.
De Mons. BOYET.

La raison, pour laquelle j'ay tant tardé à repondre à la derniere Lettre que Vous m'avez fait l'honneur de m'ecrire au sujet de Vos MSS. est que j'attendois une occasion favorable, pour pouvoir bien exprimer à S. A. S. quelles sont Vos intentions là-dessus. Je luy ay meme fait voir le premier volume de Votre Catalogue, qu'il à gardé dans sa chambre pour pouvoir l'examiner: enfin il me fit reponse il y a quelques jours, qu'il ne se trouve pas à présent disposé, à faire cette acquisition, sans m'en dire aucune raison, ce que, comme Vous pouvez bien juger, je ne puis penetrer. Si je puis me trouver en quelqu'occurrence de pouvoir Lui dire une seconde fois mon sentiment, soyez bien persuadé, je Vous prie, Monsieur, que je ne negligeray rien pour Luy faire sentir, de quelle consequence est cette Collection, et combien cette acquisition Luy seroit avantageuse. J'aurois un plaisir infini de pouvoir l'y engager et de Vous servir.

CLXXXV.

A Mons. BOYET.

La charge conſulaire ou de Bourgemaitre dont le Senat m'a honoré des le commencement du mois paſſé, m'occupe tant qu'il ne me reſte presque point du tems à ſonger à ma correſpondence. C'eſt pourquoy je Vous prie de me pardonner que je repond ſi tard à la derniere que Vous m'avez fait l'honneur de m'ecrire. Je Vous aſſure, Monſieur, que ſans cela je n'aurois pas manqué de Vous rendre grace de la peine que Vous avez bien voulu prendre, de préſenter à S. A. S. le premier Tome de mon Catalogue. Je croy bien que S. A. S. dans la ſituation preſente des affaires de l'Europe, qui ont tant occupé un ſi grand Prince, qui par ſes ſages conſeils conſervera à toute l'Europe la paix tant deſirée, n'a pû étre diſpoſé à ſonger à une telle acquiſition. Cependant quand Vous aurez la bonté ſelon Vos offres généreux de prendre un tems plus favorable d'en faire d'avantage quelques remonſtrances, j'espere que cette affaire pourroit encore reüſſir. C'eſt pourquoy je Vous la recommande encore une fois, en Vous priant inſtamment d'en chercher occaſion. à Francfort, le 20. de Juin. 1727.



INDEX

INDEX.

A.

Agrippae (Henr. Corn.) Occultae Philoſophiae quantum pretium ſtatuerit Bencardus. 56. Agrippa ludens in ſcientiarum abuſum et barbaros praecurſorem habuit quendam Fauſtinum 59. ſqq.

Alani de planctu naturae libellus. 107
opus quoddam ineditum. 112

Amploniana Bibliotheca Erfurt. 133. 141. ſqq.

B.

de Bary (Iac.) theſaurus numiſmatum Punicorum. 116

Barthii (Caſ.) Adverſaria nondum edita. 206

Beckius (Matth. Frid.) vetuſtum Eccleſiae Germanicae Martyrologium ab interitu vindicavit. xxx

Biblia Tigurina. 385. Rhaetica. 390

Bibliomania. CLIV. ſqq.

Bibliotheca Amploniana Erfurtenſis. 135. ſqq.

Boiſotus (Io. Bapt.) plurimas Card. Granvellani epiſtolas internecioni eripuit. XLIII

Boyneburgius fluctuantis animi. 162

Boyeti et Uffenbachii Epiſtolae. 408. ſqq.

Bullingeri (Io. Henr.) Chronicon Tigurinum. 375. ſqq.

C.

Catalogos bibliothecarum accuratos conficere res laboris plena. XCVI. quomodo conficiendi. XCIX. ſqq.

Catalogus Biblioth. Lugduno-Batavae. 55

Celtes (Conr.) quare vocetur Protucius. 40

Coerbach (Adr.) Liber impius. 153

de Curione (C. S.) ſpicilegium. 270 ſqq.

D.

Dieterichiana Bibliotheca. 150

E.

Egmondanus (Nic.) Carmel. Eraſ. hoſtis. 316
de Enemanno (Mich.) mendax rumor. 283. 297. de ipſo Obſervatio. 285. ſqq.
Erfurtenſes Bibliothecae. 135. ſqq.

F.

Fabri (Fel.) Evagatorium, ſive Terrae S. Itinerarium. 55
de Fauſtino (Pet. Saulo,) Henr. Corn. Agrippae praecurſore Obſervatio. 59. ſqq.
Feudorum Germaniae origo. 185
Figura inconcinna libello ſacro inſerta. 18
Francofurtum ad Moenum literarum omnis generis olim emporium. III. ſqq. cur commercium librarium in nundinis Francof. decreverit. VIII. ſqq.
Fulmonat quid ſignificet. 369. 371
Furly (Beni.) plurimos ſuſpectae fidei libros collegit. 158
Fuſcareni (Marci) Opus *della Letteratura Veneziana* laudatum. 347

G.

Germanici Codices vett. MSS. 368
Gerſonis (Io.) operum editio vetuſta. 25. ſq.
Geſneri (Conr.) laus. 386
Greiffenkranzii MSS. Genealogica. 343. 352
Grollierius (Io.) quam ſtudioſus fuerit externi librorum ornatus. CXIV
Grotii epiſtolas ineditas publicare voluit C. O. Rechenbergius. 357
Gundlingii Biblioth. 183. Eius et Ludewigii con-

controv. de fide ſpeculi ſaxonici et ſuevici. 183. ſingularia de eo. 201. 216.
Guthmanniani Operis fatum. 208

H.

Haeretici ficti. cxx
Halenſis Bibliotheca. 186
Henningii Opus genealog. 32. 34. 387. 400
Heterodoxorum dogmata ipſis eorum verbis proferenda. 160
Heumanni (Chriſtoph. Aug) Epigramma in Vffenbachium. 180
Hypochondriacum malum. 110. 122. 127

I.

Ignorantia docta et pia. cxxi
Imagines Viror. Clar. iucundae et utiles. xlvii. ſqq.
de Imitatione Chriſti liber quemnam auctorem habeat. ii. ſqq. 138
Ioannis (Ge. Chr.) et Vffenbachii Epiſtolae. 335. ſqq.
Iunii (Franc.) Otfridus. 372
de Iure publico quinam recenter et ſuccincte ſcripſerint. 392. 398

K.

Kappe (I. F.) laus. 186
Kircheri (Athan.) notabile inſomnium. cxviii
Kirchmaieri (Io. Guil.) et Vffenbachii Epiſtolae 401. ſqq.
Krafft a Dellmenſingen (Raymundi) et Vffenbachii Epiſtolae. 14. ſqq.

L.

Lambecii Commentarii de Bibliotheca Vindobon. rariſſimi. 223. quae tantae raritatis cauſa. 224
Langii (Gottfr.) Hiſtoria excidii Conſtantinop. 149
Legati litterarii. cxxix. ſqq.
Leutingeri laus. 3
Libri de quibus argumentis ut adhuc ſcriberentur, optaverit Vffenbachius. cxx. ſqq.

Libri veteres et alia antiquitatis monumenta cur tot interciderint. cxxxvi. ſqq.
Librorum quorundam prohibitorum Bibliothecae Vffenbach. MSS. et impreſſorum index. 410. ſqq.
Limborchius notatus. 159
Loeſcheri (Val. Ern.) et Vffenbachii Epiſtolae 151. ſqq. 333
Ludewigii ſcriptores Herbipolenſes. 32. 35
eius laus. 203

M.

Maii (Io. Henr.) Fil. ac Vffenbachii Epiſtolae. 41. ſqq. 221. ſqq.
Manuſcriptorum Codicum infelicia fata. xii. ſqq. xxviii. ſqq. lxvi. ſq.
Manuſcr. Codex Aethiopicus. 88. 93. 99
Manuſcripti Codices Biblici Hebr. Erfurt. 136
Manuſcr. Codex Ciceronis. 139
Manuſcr. Codex Inquiſitionis Tholoſanae. 159
Manuſc. Codex impiae Bib. verſionis German. 162
Manu exaratos Cod. excutere, res multi laboris. cv
in Manuſcriptis Codicibus commiſſae fraudes. cix
Martene (Edm.) Veterum ſcriptorum et monumentorum Collectio. 328
Martyrologium philoſophicum. cxxiv
Maſſon. (Papir.) Codicem Agobardi ab interitu vindicavit. xxviii
in Maurocordatum libellus famoſus: 178
Menckenii Bibliotheca. 186
Mevii (Dav.) Jus publicum Pomeraniae MS. 187. 193
Microſcopii ſtatiſtici auctor quis? 190. 209
Miracula libraria. cxxvi
Monachi quidam Codicum MSS. deſtructores. xi. ſqq. xx
Monaſteria Germaniae literarum olim aſyla. xviii. ſq.
Monſtrorum literariorum hiſtoria. cxxiii
Morellius (Andr.) 176

N.

de Neſenis (Wilh. et Conr.) Analecta. 299. ſqq.
de Novo Como varia. 2. ſqq.

O.

Opera magna et pretiosa in comp. redigenda. cxxv
Otfridus. 372
Ottii (Io. Bapt.) et Vffenbachii Epistolae. 374. sqq.
Ottii (Io. Henr.) Historia Anti-Baroniana. 383.394

P.

Peirescii notabile insomnium. cxvi
Pentateuchus Samaritanus. 126
Perrenotii (Ant.) Card. Granvell. Epistolarum singularia fata. xlii. sqq.
Pinelli (Vinc.) βιβλιοφιλία. xxvii
Pithoeus (Petr.) Mich. Hospitalii sermones sive Epistolas ab interitu vindicavit. xli
Plarre (Ern. Mart.) et Vffenbachii Epistolae. 1. sqq.

R.

Rechenbergii (Car. Ott.) et Vffen. Epistolae. 356. sqq.
Relandi (Hadr.) Palaestina. 54
Richardus S. Walpurgae et Wunibaldi pater an Rex Angliae fuerit. 403. 406
Rusdorfius. 196

S.

Salomonaei templi typus. 266
Scharff (Gottf. Balth.) et Vffenb. Epistolae. 164. sqq.
Scherzii (Io. Ge.) et Vffenbachii Epistolae. 368. sqq.
Schudtii opus de Iudaeis historicum. 241. 246. 254
de Senckenberg (Henr. Christ. Liberi Baron.) et Vffenbachii Epistolae. 171. sqq.
Siculi, Dacice Zeckeli, gens Transsylvanica. 75
Sirmondus, (Iac.) varios Codices MSS. ab interitu vindicavit. xxix
Soloecismus literarius. 298
a Stade (Diet.) Otfridus. 372
Stephanus (Henr.) primus Anacreontis vindex. xxxv
Suiceri Chronicon Tigurinum. 384

T.


Thaletis Milesii nummus. 280. 293
Thelegedi (Io.) Rudi. priscae Hunn. linguae. 56. 75
Thomasius (Christian.) 173. 204
Thuani Biblioth. quam vili pretio divendita sit. cxv

Tridentini Concilii Acta MSS. 344. ſqq.
Trithemius (Io.) primus rei bibliothecariae in Germania ſtator. V. XVI
ab Vffenbach (Zachar. Conr.) quam vaſtam principio bibliothecam ſibi inſtruendam animo deſtinaverit. 11. multos Codices MSS. ab internecione vindicavit. XXII. ſqq. XXXII. ſqq. XL. XLIV. Virorum Clar. imagines induſtrie collegit. XLVI. diligenter excuſſit bibliopolarum tabernas. LIV. varie primum in adornanda bibliotheca ſe peccaſſe faſſus. LVII. XCIII. quoſnam deinde potiſſimum libros ſtudioſiſſime collegerit. ibid. cur hiſtoricos? LIX. ſqq. cur ſcripta ad rem litterariam ac librariam pertinentia? LXIII. cur libros ſub artis typographicae auſpicia et paulo poſt excuſos? LXIV. ſqq. cur rariores libros et potiſſimum prohibitos? LXXI. ſqq. cur libellos mole exiguos? LXXVI. cur Deductiones cauſarum illuſtrium? LXXVII. cur Diſſertationes Academicas? LXXVIII. cur Codices biblicos? LXXIX. cur praecipue Codices manu exaratos? LXXX. ſqq. cur doctorum virorum Epiſtolas? LXXXII. cur acta et documenta Francofurtenſia? LXXXII. cur libros manu virorum doctorum notatos? LXXXIV. ſqq. cur autographa virorum illuſtrium? XCI. Moguntiae Monaſteriorum bibliothecas perreptavit. 50. contulit Codices MSS. Hieronymi et Auguſtini cum impreſſis. 153. emit plurimos libros ſuſpectae fidei ex bibliotheca Beni. Furly. 158. in adornandis librorum ſuorum catalogis plurimum ſtudii conſumſit. XCV. ſqq. quo ordine bibliothecam ſuam diſpoſuerit. CLVII. quibus ornamentis eius biblioth. ſuperbierit. CLXIII. ſq.
in Vffenbachium Epigramma Heumanni. 180
Vitae doctorum virorum colligendae. CXXIV
Vngerus (Chriſt. Theoph.) 164. ſqq.

W.

Wagenſeilius (Io. Chriſtoph.) Codicem Miſchnicum ab interitu vindicavit. XXIX
S. Walpurga Virgo. 401. ſqq.
Weberi (Imman.) et Vffenbachii Epiſtolae. 28. ſqq.

F I N I S.




LEGATORIA S. BENEDETTO
CITERNA